Central Baptist Theological Seminary
0 0021 0032980 0

BIBLIA SACRA

IUXTA LATINAM VULGATAM VERSIONEM

AD CODICUM FIDEM

IUSSU

PAULI PP. VI

CURA ET STUDIO
MONACHORUM ABBATIAE PONTIFICIAE SANCTI HIERONYMI IN URBE
ORDINIS SANCTI BENEDICTI
EDITA

LIBER HIEZECHIELIS

EX INTERPRETATIONE SANCTI HIERONYMI

CUM PROLOGO EIUSDEM ET VARIIS CAPITULORUM SERIEBUS

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MDCCCCLXXVIII

Central BAPTIST
THEOLOGICAL SEMINARY

presented by

KANSAS CITY, KANSAS

0 0021 0032980 0

BOOK

Index Codicum et Editionum

C (*Cavensis*) Cavensis, Abb. 1 (14), paulo post 850.
X (*Complutensis*[1]) Matritensis, Univ. Centr. 31, s. x.
Σ^T (*Toletanus*) Matritensis, Bibl. Nat. Vitr. 13-1, ante 988.
Δ^L (*Legionensis*[1]) Legionensis, Capit. Cath. 6, a. 920.
Δ^M (*Aemilianensis*) Matritensis, Academ. Hist. 20, ca 900.
Λ^L (*Legionensis*[2]) Legionensis, S. Isidori, a. 960.

Γ^L (*Casinensis*) Casinensis, Abb. 543, s. xi.

A (*Amiatinus*) Florentinus, Laurent., ca 700.
Φ^E (*Epternacensis*[2]) Parisinus lat. 8847, ca 800.
Φ^R (*Rorigonis*) Parisinus lat. 3, ca 835.
Φ^G (*Grandivallensis*) Londiniensis Add. 10546, ante 843.
Φ^P (*Paulinus*) Romanus, Abb. S. Pauli extra Muros, ante 875.

O (*Floriacensis*) Aurelianensis, Bibl. Civit. 17 (14), s. viii-ix.
Θ^S (*Weingartensis*) Stuttgardiensis H. B. II 16, s. viii ex.
Θ^H (*Hubertianus*) Londiniensis Add. 24142, ca 800.
Θ^A (*Aniciensis*) Anciensis, Capit. Cath., ca 800.
Θ^M (*Mesmianus*) Parisinus lat. 9380, ca. 800.
Θ^G (*Sangermanensis parvus*) Parisinus lat. 11937, ca 800.

R (*Ratisbonensis*[1]) Vindobonensis, Bibl. Nat. lat. 1218, s. viii[2].
Y (*Ratisbonensis*[2]) Monacensis lat. 14197, s. viii[2].

E (*Epternacensis*[1]) Parisinus lat. 9382, s. viii in.
T (*Turonensis*) Parisinus Nov. acq. lat. 1586, ca 780.
S (*Sangallensis*) Sangallensis, Abb. 44, ann. 760-781.
U (*Augustodunensis*) Augustodunensis, Bibl. Civit. 2 (S. 1), s. viii ex.

M (*Corbeiensis*) Ambianensis 8, s. ix inc.

Q (*Bobiensis*) Mediolanensis, Ambros. E. 26 inf., ca 850.
Γ^A (*Abiascensis*) Mediolanensis, Ambros. E. 53 inf., s. x.
Γ^D (*Bovin.*) Vaticanus lat. 10511, ca 1100.

Ω^M (*Mazarinaeus*) Parisinus, Bibl. Mazar. 5, ante 1231.
Ω^S (*Universitatis* seu *Sorbonicus*) Parisinus lat. 15467, a. 1270.
Ω^J (*Correctorium S. Iacobi*) Parisinus lat. 16721, ca 1250.

f *fragm. e cod. rescripto* Sangallensi, Abb. 193, s. v.
k *fragm. in cod.* Aurelianensi, Bibl. Civit. 19 (16), s. vi.
d *fragm. in cod.* Mediolanensi, Ambros. A. 138 sup., s. vii.
l *fragm. e cod. rescripto* Legionensi, Bibl. Cath. 15, s. vii.
i *fragm. in cod.* Parisino lat. 152, s. vii-viii.
u *fragm. e cod. Admuntensi*, Monacensi lat. 29158 (a), s. viii in.
z *fragm. in cod.* Turicensi, Archiv. Civ. A.G. 19, n. XII, s. viii-ix.
m *fragm. e cod.* Monacensi lat. 29157 (b), s. ix in.

a Editio princeps, 42 lin. dicta, Moguntiae(?) a. 1452(?).
g Editio Gobelini Laridii, Coloniae 1530.
r Editio Roberti Stephani secunda, Parisiis 1532.
e Editio Roberti Stephani quarta, Parisiis 1540.
l Editio Theologorum Lovaniensium, Antverpiae 1583.
o *Codex Carafianus* (Vaticanus lat. 12959), ubi lectionem I immutatam servat.
w *Codex Carafianus*, ubi lectionem I mutat.
s Editio Sixti V, Romae 1590.
c Editio Clementis VIII, Romae 1592.
m Editio Roberti Weber altera, Stuttgardiae 1975.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bibliasacra0000vari_q5k8

BIBLIA SACRA

IUXTA LATINAM VULGATAM VERSIONEM

XV

HIEZECHIEL

BIBLIA SACRA

IUXTA LATINAM VULGATAM VERSIONEM

AD CODICUM FIDEM

IUSSU

PAULI PP. VI

CURA ET STUDIO
MONACHORUM ABBATIAE PONTIFICIAE SANCTI HIERONYMI IN URBE
ORDINIS SANCTI BENEDICTI
EDITA

LIBER HIEZECHIELIS

EX INTERPRETATIONE SANCTI HIERONYMI

CUM PROLOGO EIUSDEM ET VARIIS CAPITULORUM SERIEBUS

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MDCCCCLXXVIII

LIBRARY
CENTRAL BAPTIST THEOLOGICAL SEMINARY
KANSAS CITY, KANSAS 66102

R
220.47
B582
G249

IN HOC QUINTO DECIMO SS. BIBLIORUM VOLUMINE INVENIES

PAG.

PROLEGOMENA IX

I. De codicibus biblicis XI
I. De codicibus ad hanc editionem adhibitis XI
II. De nonnullis codicibus praetermissis XIV
III. De veteris latinae translationis codicibus XVII
De capitulorum distributione in codicibus 175 177 et in serie Aa XIX

II. De traditione indirecta XXI
I. De Hieronymi Commentariis XXI
II. De Gregorii Magni Homiliis XXIV
III. De ceteris Patribus XXVI
IV. De codicibus liturgicis XXVI

III. De corporis prophetici recensionibus XXIX
I. De subarchetypo AkO XXX
1. De codicis k apographis ($O\Theta^{AM}$) – 2. De correctionibus k^2 – 3. De lectionibus AO – 4. De lectionibus $AO\Theta^{H}$ ($= k\Theta^{H}$)
II. De subarchetypo $\Theta^{S}dQ$ (Γ^{A}) XXXIV
III. De codicis Π^{L} cum recensionibus italicis necessitudinibus XXXV
1. De lectionibus $\Pi^{L}AO$ – 2. De lectionibus $\Pi^{L}\Theta^{S}Q$
IV. De lectionibus italicis $AO\Theta^{S}Q\Pi^{L}$ XXXVII
V. De subarchetypo transalpino RY XL
VI. De subarchetypo transalpino ETSU XL
VII. De recensionibus turonensibus XLII
1. De exemplari deperdito T** – 2. De recensionis gradibus – 3. De recensione T – 4. De recensione T^2 – 5. De recensione Φ
VIII. De codicibus mutilis XLVII
1. De reliquiis sangallensibus f – 2. De reliquiis legionensibus l – 3. De codice luxoviensi u et de lectionario 251 – 4. De codice austrasiano i – 5. De codice benedictoburensi m – 6. De codice hibernico z
IX. De codicibus hispanis LI
1. De codice C – 2. De codicibus $C\Sigma^{T}$ – 3. De codicibus CX – 4. De necessitudinibus codicum Δ cum Θ

66197

PAG.

X. De nonnullis recensionibus e quibus editio Ω conformata est LIV
1. De recensione Z^c – 2. De editione H – 3. De codice Z^p – 4. De emendationibus in codices carolinos manu altera introductis
XI. De recensionum origine LIX

IV. De quibusdam lectionibus difficilioribus LXIII
I. De lectionibus cum hebraico consonantibus LXIII
3,13. – 1,1. – 23,42. – 44,27.
II. De lectionibus cum *HI* consonantibus LXVI
Prol. 16. – 6,13. – 35,8. – 37,23. – 20,18. – 44,19. – 11,16. – 32,22.
III. De lectionibus interpreti aberranti tribuendis . . . LXXI
37,16. – 42,4. – 36,36. – 42,13.

V. De archetypi auctoritate LXXV
I. De mendis quae *HI* non communicat LXXVI
II. De Hieronymi notario peccante LXXVIII

Prologus S. Hieronymi in libro Hiezechielis 1

Capitula sive tituli libri Hiezechielis 7
1. Series Aa et Ab 11
2. Series B 30
3. Series C 32
4. Series D 34
5. Notae marginales codd. Δ^{LB} 36

Liber Hiezechielis Prophetae 41

Orthographica 275
I. Nomina personarum et locorum 279
II. Nomina appellativa 288
I. Notae aspirationis h additio aut detractio 288
II. Commutationes i - y 295
III. Commutationes v - f 297

PROLEGOMENA

Liber Hiezechielis in plerisque translationis Vulgatae codicibus libros Hieremiae (Baruch[1]) et Lamentationum subsequitur; quam dispositionem praebent CXΣᵀΔΛᴸΠᴸAΦOΘETᵗUΨᴰΩl *edd.*

In codice tamen E ex libris Hieremiae Hiezechielis Danihelis Duodecim prophetarum libellos constitisse inter se distinctos ex eo licet conicere, quod fasciculi quattuor, quibus Hieremias et Lamentationes continentur, soli sunt prima manu signati; quod prophetiae Hiezechielis fasciculus primus ita elapsus est, ut libellus sit acephalus; quod ultimae singulorum libellorum plagulae vacuae sunt, atque attritae et luridae. Sequitur ut quem in ordinem librarius prophetias adducere intenderit statuere nequeamus.

Item codicis T librarius (T†), expletis Lamentationibus (f. 136ʳ), exscripsit (f. 136ᵛ) prologum in Danihelem *Ubicumque medicina*[2], interpretationes nempe hebraicorum nominum e Commentariis Hieronymi in Danihelem sumptas, adiunxitque Hieronymi praefationem in eumdem librum. Quibus omnibus erasis et foliis eiusdem quaternionis subsequentibus excisis novoque quaternione adhibito, prologum *Hiezechiel propheta*

---

[1] De codicibus in quibus liber Baruch adiunctus est, cf. *Biblia Sacra XIV*, Liber Hieremiae, Romae 1972, p. XXV-XXVI.

[2] Prologum *Ubicumque* edidit D. De Bruyne, *Préfaces de la Bible Latine*, Namurci 1920, p. 134; quem critice recognoscendum una cum Danihelis prophetia curabimus.

inchoavit (f. 137^{r}). Denique, post Hiezechielis librum et ante Danihelem (mutilum, f. 209^{v}), prologum et praefationem iterum exaravit (ff. 207^{r}-209^{r}).

Codices RY, S et M, utpote qui partes sint corporis prophetici diversos in libros distributi, ab Hiezechiele omnes ordiuntur. Ex eis quae in codicum RYS descriptione dicentur, patet Isaiam et Hieremiam antecessisse in codicibus gemellis. Codex autem M unam Hiezechielis prophetiam continet, sed nihil impedit quin bibliothecarius corbeiensis ordinem consuetum *Is Ier Ez Dan* secutus sit.

Codices denique longobardici QΓ^{A}, ordinem liturgicum secuti, Hiezechielem post libros Macchabeorum reposuerunt.

Post Hiezechielis prophetiam subsequitur, in codicibus CΧΔΛ^{L}Π^{L} ΑΦΟRΥΕΤUQΓ^{A}Ψ^{D}Ωl *edd.*, Danihel, secundum ordinem LXX; in recensionibus autem ΣΘ, prophetia Osee, secundum traditionem rabbinicam a Hieronymo in prologo galeato pervulgatam; in S vero Prophetae minores et Danihel. M denique nihil habet nisi Hiezechielem.

In codicum fkdiuzm membris disiectis, ordo prophetarum qui fuerit non liquet.

Proprietatibus codicum ETS perspectis, dubitari potest familiaene ETSU exemplar subarchetypum librum Danihelis iam admiserit. Librum enim Danihelis, quem Hieronymus admonebat « non haberi apud Hebraeos inter Prophetas, sed inter eos qui Agiografa conscripserunt [3] », librarii, etsi ad corpus propheticum haud necessario pertinebat, libenter addiderunt, sive loco solito in fine prophetarum maiorum, sive in fine totius corporis prophetici (S), sive, ratione temporum fortasse habita [4], ante Hiezechielem (T†).

---

[3] In prologo *Danihelem prophetam*, cf. *Biblia Sacra*, Stuttgardiae 1975, p. 1342, 45-46.

[4] Incipit Danihel *Anno tertio regni Ioachim*, Hiezechiel autem *Et factum est in tricesimo anno*. In libro II *De doctrina christiana*, 8, 13, hoc ordine enumerat Augustinus prophetas maiores: *Esaias, Hieremias, Danihel, Ezechiel*. Eodem sese excipiunt ordine in Hieronymi *Libro interpretationis hebraicorum nominum* (ed. P. De Lagarde, Corpus Christianorum LXXII, 1959, 120-133), prophetis minoribus inter Isaiam et Hieremiam insertis; item in Melitone, Origene, Hilario, Breviario Hipponensi (in collectione saltem Quesnelliana), cf. H. B. Swete, *An Introduction to the Old Testament in Greek*, Cantabrigiae ^{2}1914, p. 200-230; T. Zahn, *Geschichte des neutestamentlichen Kanons* II, 1, Erlangae 1890, p. 153.

Caput I
DE CODICIBUS BIBLICIS

I. De codicibus ad hanc editionem adhibitis

Codicibus CΧΣ^{T}Δ^{LM}Λ^{L}Π^{L}ΑΦ^{ERGP}ΟΘ^{SHAMG}ETUΓ^{A}Ψ^{D}Ω^{MSJ}klum et editionibus agrelb(w)scm in volumine XIV, p. XI-XIII, codice autem Q in volumine VII, p. X, iam enumeratis, restat ut codices qui a libro Hiezechielis incipiunt producamus, eaque indicemus quae in membris disiectis continentur.

R *Codicis vindobonensis*[1], *Bibl. Nat. lat. 1218*, olim *88* (f. 1^{r}), Ratisbonae saec. VIII^{2} litteris iam carolinis (exceptis f. 1 et f. 67, saec. XII) exarati, folia 70 (mm. 325 × 230, ⟨225-240 × circ. 170⟩) bin. column., lin. 28-29 supersunt. Continet libros Hiezechielis cum prologo *Hiezechiel propheta*, Danihelis, Prophetarum minorum (usque ad *Agg* 1,6). Amplitudine dispositione cultu similis est codicis lat. monacensis 14080 (Isaias et Hieremias), cuius reputatur fuisse pars altera; pro ambobus ergo codicibus uno eodemque siglo R usi sumus.

Y *Codex lat. monacensis*[2] *14197*, saec. VIII^{2} litteris minusculis praecarolinis (ff. 87-88 saec. IX exceptis), Ratisbonae sicut R exaratus, fol. 1 + 136 (mm. 300 × 215, ⟨225 × 156-160⟩) lin. plen. 26, eosdem libros continet quos R, quocum lectionibus variis arte cohaeret. Fuit abbatiae S. Emmerani.

S *Codicis sangallensis*[3], *Abb. 44*, paginae 1-184 (mm. 300 × 215, ⟨237-245 × 165-180⟩) lin. 28-37 plenis (exceptis pag. 2-12, 150, 152 bin. column. dispositis) litt. minusculis alamannicis in abbatia sangallensi abbatis Iohannis II (760-781) iussu scriptae, Hiezechielem cum Hieronymi prologo et capitulis Aa, Prophetas minores, Danihelem continent. Quo in

---

[1] E. A. Lowe, *Codices latini antiquiores* (= C.L.A.) X, Oxonii 1963, n. 1499; cf. B. Fischer, *Bibeltext und Bibelreform unter Karl dem Grossen*, in *Karl der Grosse* II, Dusseldorfii 1965, p. 207.

[2] Lowe, C.L.A. IX, 1959, n. 1292: « bold Italianate pre-caroline minuscule ». Cf. B. Fischer, *l.l.*, qui censet magnam codicis Y partem eadem manu scriptam atque codicem Isaiae R; quod etiamsi ita est, sigla tamen codicum R et Y, qui eumdem ambo textum exhibent, in Hiezechielis libro immutare supersedemus.

[3] Lowe, C.L.A. VII, 1956, n. 899; cf. B. Fischer, *l.l.*, p. 204, qui codicem quoque 40 iussu Iohannis abbatis scriptum arbitratur.

volumine verisimile est partem haberi alteram corporis prophetici cuius pars prior (*Is Ier*) in cod. sangallensi 40 (S in editione nostra) servatur. Paginae autem 185-368 codicis 44, in quibus libelli quidam medicinales leguntur, saec. IX exaratae sunt. Conicere licet codicem sangallensem 43, saec. XI, prophetas eosdem eodem ordine praebentem, e codice S fuisse descriptum.

M *Codex ambianensis* [4], *Bibl. Civ. 8*, olim corbeiensis 163 (f. 1[r]), f. 126 (mm. 290 × 200, ⟨210 × 120⟩), litt. carolinis, lin. plen. 22, saec. IX inc. in abbatia corbeiensi scriptus librum Hiezechielis unum habet cum prologo Hieronymi et capitulis Aa. Qui etsi viginti fere annis post editionem illam Maurdramni plures in codices (ambianenses 6, 7, 9, 11, 12, ceterosque) distributam perfectus, eam quodammodo supplet, quippe quae Danihelem una cum Prophetis minoribus exhibeat (ambianensis 9), non autem tres prophetas maiores. De ambianensis tamen 8 testimonio, quantum habeat ponderis, statuere non audemus; idcirco, retento M siglo, quod editioni Maurdramni attribueramus, codicem a codicibus Φ sepositum post ETSU in apparatu collocavimus.

M[s] Folia 91-98 codicis M, quae disperdita saec. X exeunte, ut videtur, amanuensis quidam corbeiensis supplevit, siglo M[s] distinximus.

f *Codicum sangallensium* [5], *Abb. 193* et *567* (pp. 142-153), anno circ. 800 in quodam rhaetico vel alamannico scriptorio exaratorum, folia rescripta 83, in Italia ut vid. septentrionali iam saec. V lineis plenis 21, aut rarius 20 (olim mm. circ. 270 × 230, ⟨195 × 160⟩) litteris semiuncialibus per cola et commata exscripta, Hiezechielis (40, 20-29; 40, 39-41, 7; 41, 16-42, 1; 42, 11-43, 17; 44, 9-45, 17; 46, 2-47, 16; 48, 6-22), Danihelis, Prophetarum minorum fragmenta continent. Transcriptionem ab A. Dold editam ita usurpavimus, ut eam tamen denuo recognosceremus.

k Fragmentorum *aurelianensium* [6], *Bibl. Civ. 19* (*16*), folia 23-25 *Ez* 42, 6-43, 8; 44, 25-45, 15; 47, 9-48, 10 continent.

---

[4] E. COYECQUE, *Catalogue général des manuscrits des Bibliothèques publiques de France, Départements*, XI, Parisiis 1893, p. 5. B. FISCHER, *l.l.*, *p.* 187, disiungit codices ambianenses 8 et 10 a codicibus 6, 7, 9, 11, 12: « sie gehören nicht zur Maurdramnusbibel ».

[5] LOWE, C.L.A. VII, 1956, n. 916. Ed. [A. MANSER], *Codex sangallensis* 193 *continens fragmenta plurium prophetarum secundum translationem s. Hieronymi* (Spicilegium Palimpsestorum arte photographica paratum I), Beuronae 1913; transcr. A. DOLD, *Prophetentexte in Vulgata-Übersetzung nach der ältesten Handschriftenüberlieferung der St. Galler Palimpseste n°* 193 *und n°* 567 (Texte und Arbeiten 1, 1-2), Beuronae 1917.

[6] *Biblia Sacra XIII*, p. XIII-XIV; *XIV*, p. XII.

d *Codicis ambrosiani*[7] *A. 138 sup.* folia 1-2, olim bifolium in cuiusdam codicis saec. x (Haymonis in Epistulas Pauli) custodiae locum adnexum, litteris uncialibus saec. vii in bobiensi monasterio, nisi fallimur, (mm. 275 × 190, ⟨233 × 165⟩) lineis 28 plenis per cola et commata scripta sunt. Continent *Ez* 26, 17-27, 9 et 27, 33-28, 11. Divisiones litteris longe maioribus in ipsis laterculis indicatae sunt, atque numeris eisdem instructae quibus in codice Q. Cuius codicis Q codex antiquus d fuit exemplar, ut dicetur p. xxxiv-xxxv.

l *Codicis legionensis*[8], *Arch. Cathedr. 15*, folia Hiezechielis tria exstant, ex quibus totidem bifolia codicis saec. ix rescripti effecta sunt; quae continent *Ez* 20, 25-23, 19 (ff. 174 + 181); 23, 20-27, 7 (ff. 17 + 18); *Ez* 48, 7-35, prologum Hieronymi in librum Danihelis, *Dan* 1, 1-2, 15 (ff. 43 + 38). Patet igitur Danihelem Hiezechielis prophetiam subsecutum esse; praeterea verisimile est libros Isaiae et Hieremiae initio corporis prophetici fuisse collocatos, cum folium unum deperditum *Is* 65, 17-66, 22, Prologum, *Ier* 1, 1-2, 28 commode continere potuit (inter fol. 68 + 61 et 72 + 73).

i *Codicis parisini*[9], *Bibl. Nat. lat. 152*, foliis 1-8 (mm. 350 × 300, ⟨295 × 260⟩), litt. uncialibus saec. vii-viii, bin. column., lin. 38, scriptis quaternio unus (signatus XLII, f. 8ᵛ) servatur alicuius codicis deperditi, qui eodem in Galliae orientalis scriptorio confectus est, in quo, ut perspexit E. A. Lowe, alii codices qui traditiones anglo-saxonicas redolent videntur exarati; continet *Ez* 16, 5-23, 21. Codex autem i paulo prius scriptus est quam ceteri omnes eiusdem originis. Cum quaterniones eius amplitudinis decem fere desint in quibus Danihel et Prophetae minores legebantur, volumen integrum ex LII quaternionibus minimum, hoc est 560 foliis, constabat.[9a] Novum Testamentum requirebat alios XXVI quaterniones, de quibus dubitari potest fuerintne eodem in volumine conglutinati. Ceteroquin Octateuchus, libri Regum, Isaias, Hieremias prioribus XL quaternionibus capi non poterant; ergo in quaternione i reliquias habemus partis alterius editionis maioris in tres codices digestae.

Divisiones maiores non sunt signatae; minores autem, quae divisionibus per cola et commata respondent, litteris initialibus signantur in laterculis.

u *Codicis* prophetarum *admuntensis*[10] folium *clm 29158a*, s. viii inc., *Ez* 38, 1-20 praebens, imaginemque fragmenti *admuntensis 12* luce in

---

[7] Lowe, C.L.A. III, 1938, n. 307.

[8] *Biblia Sacra XIII*, p. xiv; *XIV*, p. xii.

[9] Lowe, C.L.A. V, 1950, n. 522.

[9a] Nisi coniciendum sit *Ez* praeter consuetudinem esse in corporis prophetarum fine repositum (cf. supra, p. ix-x, librorum ordinem in cod. T†).

[10] *Biblia Sacra XIV*, p. xii.

C.L.A. X expressam et *Ez* 42, 14-16; 43, 1-3 exhibentem usurpavimus. Fragmenta autem olim admuntensia 12, quae *Ez* 11, 3-12, 3; 42, 16-18; 43, 3-4 et 7-13 continent, ubi nunc adserventur nescimus.

z *Codicis turicensis*[11], *Arch. Civ. A. G. 19, n. XII*, nomine folia duo designantur, nunc ff. 24-25 (pp. 61-64) numerata, litteris minusculis hibernicis ternis column. (mm. 225 × 210 f. 24; 230 × 120 f. 25), saec. VIII-IX in Hibernia ut videtur exarata. « Ezechiel propheta in volumine I » inter « libros scottice scriptos » bibliothecae sangallensis iam saec. IX recensitus est[12]. In laterculo medio lin. olim 35 vel 36 *Ez* 2, 6-3, 5; 3, 7-15; 16, 4-21; 16, 26-42 cum glossis interlinearibus continetur; commentaria autem, in primis ex Gregorii Magni homiliis sumpta, in ceteris laterculis lin. olim plus 85 litteris minutioribus scripta sunt. Hiezechielis prophetia sine prologis folia 33 requirebat.

m *Codicis monacensis*[13] *lat. 29157b*, in monasterio benedictoburensi litteris minusculis alamannicis binis columnis saec. IX inc. confecti, fragmenta quattuor, hoc est ff. 14-17, *Ez* 24, 13-26,9; 27, 26-30, 21; 32, 11-33, 12 continent. Distributio per cola et commata nullo modo, divisiones autem maiores litteris grandioribus extra columnas paulum excedentibus indicantur.

m *Biblia Sacra iuxta Vulgatam versionem* a R. Weber recensita et prelis *Württembergische Bibelanstalt* Stuttgardiae expressa secundum editionem alteram (anno 1975) advocantur[14].

II. De nonnullis codicibus praetermissis

Ad textum recognoscendum, codices complures sive integre, sive partim exploravimus, quos ab apparatu ne gravaretur exclusimus; tamen haud ingratum videbitur si de horum codicum inter se necessitudinibus nonnihil addiderimus.

G 1. *Codex parisinus*[15] *Bibl. Nat. lat. 11553*, olim *Sangermanensis 15*, initio mutilus, iam a vol. VII testis advocatus est; cuius pandectae pars prior,

---

[11] Lowe, C.L.A. VII, 1956, n. 1008.

[12] G. Becker, *Catalogi Bibliothecarum antiqui*, Bonnae 1885, p. 43, nº 22, 6.

[13] *Biblia Sacra XIII*, p. XV; *XIV*, p. XIII.

[14] *Biblia Sacra iuxta Vulgatam versionem*, adiuvantibus B. Fischer, I. Gribomont, H. F. D. Sparks, W. Thiele, recensuit et brevi apparatu instruxit R. Weber. Editio altera emendata, Stuttgardiae 1975. Ad Hiezechielem recensendum adhibiti sunt codices AC, ΣΛOSTMΦfkl et editio t.

[15] *Biblia Sacra VII*, p. X, ubi siglo N signatus est codex parisinus; siglum vero G inde a volumine XI repetivimus. Quanti hic codex faciendus esset denuo demonstravit H. J. Frede, *Vetus Latina* XXV, Friburgi Brisgoviae 1975, 37-40.

quae corpus quoque propheticum continebat, nunc deperdita, anno 1540 a Roberto Stephano usurpata est ad lectiones selectas ad margines editionis suae ε adscribendas, quas siglo *Ge. l.* (*Sangermanensis lati*) signavit [16]. In Hiezechiele quinque tantum [17] lectiones *Ge. l.* protulit Stephanus, quae cum recensione nostra omnes concinunt: 3,10 *quos* omisso *ego*; 4,13 *et dixit*; 10,10 *quasi sit*; 13,4 *desertis*; 16,6 *conculcari*.

Φ^B 2. *Codex bambergensis Bibl. Nat. Biblia 1* (A.1.5), ff. 423 (mm. 474 × 355, ⟨365 × 265⟩), binis columnis, lin. 50 (interdum 51 vel 52), Turonibus, et quidem, ut acute coniecit W. Koehler [18], in Maiore Monasterio (Marmoutier) Adalhardi temporibus (834-843), confectus est. Quae pandectes [19], etsi in alcuinianis est adnumeranda, ab eis tamen manu interdum magis archaea, exempli gratia litterarum quarumdam legaturis, distinguitur [20]. Iam a H. I. White in editione oxoniensi Novi Testamenti siglo B signata, siglo Φ^B vero ab editoribus Novi Testamenti Veteris Latinae beuronensis [21], W. Thiele et H. J. Frede, usurpata est.

In Hiezechielis prophetia, in qua codicem cum ceteris omnibus accurate contulimus, tam mire cum T conectitur, ut eum ab apparatu censuerimus excludendum; eius tamen cum ETSU necessitudines subtilius infra [22] tractabuntur.

Δ^B 3. *Codex burgensis* [23] *Semin. S. Hieronymi*, olim caradignensis, ff. 397 (mm. 470 × 330), binis columnis lin. 52, manu visigothica scriptus, Biblia sacra continet integra, Apocalypsi tamen mutila a 12,6 deficiente. Inde a vol. I ad vol. VI huius editionis siglo B instructus velut testis inter hispanicos novissimus adhibitus est; eodem siglo distinctus laudatus est in editione Psalterii iuxta Hebraeos [24] atque in Genesi beuronensi. In Novo autem Testamento editionis beuronensis siglo Δ^B distinctus in familiae Δ testibus collocatus est.

---

[16] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. XV-XVI; *XIV*, p. XIV-XV.

[17] Lectiones G longe plures in Isaia et Hieremia inveniuntur, etsi Stephani apparatus lectiones varias non pauciores in Hiezechiele continet quam in ceteris prophetis; non liquet cur codex sangermanensis multo rarius hic compareat.

[18] *Die karolingischen Miniaturen. I. Die Schule von Tours*, Berolini 1930, p. 233.

[19] Deest liber Apocalypsis.

[20] Cf. B. FISCHER, *Die Alkuin-Bibel* (1957) (Aus der Geschichte der lateinischen Bibel, 1), Friburgi Brisgoviae 1957, p. 11-12.16; ID., *Bibeltext...* (supra, n. 1), p. 171; ID., *Die Alkuinbibel* (1972), in *Die Bibel von Moutier-Granval*, Bernae 1972, p. 63. Ab eodem B. Fischer accepimus codicem Φ^B in Hiezechielis libro non semper cum ceteris alcuinianis concinere.

[21] In libro Actuum Apostolorum et in Epistulis Catholicis.

[22] P. XL-XLVII.

[23] *Biblia Sacra I*, p. XX; cf. B. FISCHER, *Bibelausgaben des frühen Mittelalters*, in *La Bibbia nell'alto medioevo* (Settimane di Studio del Centro italiano di studi sull'alto medioevo, X), Spoletae 1963, 519-600, p. 564 et 573-574.

[24] Collectanea Biblica Latina XI, Romae 1954.

In corpore prophetico codices Δ^{LB} artissime inter se conectuntur; in vol. XIII editionis nostrae menda eorum communia in quinque capitibus computavimus omnia: « codices Δ^{BL}, qui familiam quamdam constituunt, mendis communibus scatent... Ad ceteros hispanos Δ^{L} propius quam Δ^{B} accedit; testem quemdam exterum Δ^{B} fortasse sic adhibuit, ut errores insigniores exemplaris Δ eliminaret; inde efficitur ut Δ^{B} ex apparatu nostro excludendum iudicaverimus »[25]. Codex vero Δ^{M} a familia Δ haud raro discedit. Easdem adfinitates in Hiezechielis prophetia observavimus; quapropter codicis Δ^{B} nihil rettulimus, nisi notas eius marginales (p. 36), quibus codicis Δ^{L} notae infauste recisae supplentur.

Z^{c} 4. *Codex parisinus* [26] *Bibl. Nat. lat. 11532-11533*, olim *Corbeiensis*, postea *Sangermanensis 1-2*, ff. 217 + 242 (mm. 445 × 355), binis columnis, lin. 47, in Gallia septentrionali intra annos 830-850 exaratus est. Utroque huius pandectae volumine usi sumus inde a vol. V ad IX siglo E, et in vol. XIV, pro libro Baruch tantum, siglo Θ^{E} signatae. Inde a vol. XXIV/2 Veteris Latinae, codex siglo Z^{c} distinctus est, atque quibusdam aliis codicibus (Z) eiusdem regionis et aetatis adnumeratus.

Etsi omnibus probatur in codicem Z^{c} traditiones Θ et Φ confluxisse [27], praetermissum est recensorem, ut inter has traditiones diiudicaret, ad Hieronymi Commentaria atque ad ipsam veritatem hebraicam confugisse. De eius recensoris studio infra [28] tractabitur.

Z^{p} 5. *Codex parisinus* [29] *Bibl. Nat. lat. 11504-11505*, olim *Sangermanensis 3-4*, ff. 199 + 215 (mm. 525 × 340, ⟨390-410 × 250-260⟩), bin. column. lin. 54-56, in partibus parisiensibus anno 822 scriptus est, et inde a saec. IX in monasterio sangermanensi adservatus. Siglo P signatus in vol. I-IX editionis nostrae et in vol. XXVI/1 *Veteris Latinae*, siglo vero Z^{p} instructus in vol. XXIV/2-XXV eiusdem editionis usurpatus est. Codex Z^{p} recensionem Φ saepe sequitur [30].

---

[25] *Biblia Sacra XIII*, p. XXXIII-XXXIV.

[26] Codicem olim monasterii fuisse corbeiensis certum est, ubi eum H. J. Frede etiam scriptum esse (« in Corbie oder Umgebung ») asseveravit, cf. *Veterem Latinam* XXV, 1975, p. 55. In ultimo autem codicis 11533 binione, ff. 242^{v}-243, *Adbreviatio Chronicae* usque ad annum 809 « *Adam cum esset...* » exarata est, cui adiuncta est computatio « a hludovico imperatore usque ad hlotharium anni XXVII; a hlothario imperatore usque ad hlotharium filium eius anni XVIII ». Quod additamentum si eiusdem est manus cuius Chronica et pandectes ipsa, sicut illi arbitrati sunt (p. 239) qui elenchum *Catalogue des manuscrits en écriture latine portant des indications de date, de lieu ou de copistes. III. Bibliothèque Nationale, Fonds latin*, 8001-18613, Lutetiae Parisiorum 1974, ediderunt, codex intra annos 855-869, et quidem verisimilius in Lotharingia, confectus est. Nihil tamen impedit quin fuerint in Gallia orientali aliqua scriptoria quae cum corbeiensi necessitudine quadam coniungerentur atque commercio.

[27] Cf. B. Fischer, *Bibeltext...* (supra n. 1), p. 187.

[28] Infra p. LIV-LVII.

[29] Cf. B. Fischer, *Bibeltext...*, p. 184-185; H. J. Frede, *Vet. Lat.* XXV, p. 59.

[30] Cf. infra p. LVIII-LIX.

H 6. *Codex parisinus*[31] *Bibl. Nat. lat. 45 + 93*, ff. 262 + 261 (mm. 505 × 340, ⟨398 × 255⟩), binis columnis lin. 42, verisimiliter in monasterio S. Dionysii intra annos 820-840 scriptus, in vol. V-IX huius editionis siglo H, siglo autem Q in *Veteris Latinae* editione distinctus usurpatus est. Codex H et ordinem librorum et psalterium iuxta Hebraeos ex recensione Σ deprompsit. Interpretationem autem Tobiae et Iudith veterem eamdem habet quam Z^{P} et Metensis 7 (Z^{M}), cum quibus in libris quoque Hester, Esdrae, Macchabeorum saepe concinit. Liber Hiezechielis legitur in codice 45, ff. 225^{v}-264^{r}. Lectionibus Θ inter se commixtis, recensionem Ω iam olet, ut infra dicetur[32].

III. De veteris latinae translationis codicibus

Interpretationis Hiezechielis veteris codices tres tantum iique mutili supersunt[33]: qui in apparatu afferuntur sicubi lectioni alicuius nostrorum codicum variae suffragantur.

175 Codicis cuiusdam prophetarum olim constantiensis, deinde weingartensis, folia 46 exstant, in quinque bibliothecas nunc dispertita[34]. Qui codex « liber prophetarum » esse videtur « quem Hiltiger (823-838) de Italia adduxit », ut in antiquo augiensi elencho refertur[35]; folia (mm. circ. 280 × 260, ⟨170 × 186⟩) ternis columnis lin. 23 litteris uncialibus saec. v in Italia septentrionali sunt exarata. Imagines luce depictas P. Lehmann vulgavit[36]; editione vero usi sumus ab A. Dold curata[37].

Numero (XXXVI) quaternionis ubi explicit Hiezechiel servato, Hiezechielis et Danihelis fragmenta in quaternionibus XXVI-XL A. Dold rite resarsit; prophetarum autem minorum reliquias in quaterniones quinque collegit, quos anno 1923 in codicis capite (II-VI), deinde anno 1940 verisimilius ad calcem (XLI-XLV) collocatos fuisse credidit[38],

---

[31] Cf. B. Fischer, *Bibeltext...*, p. 188-189; H. J. Frede, *Vet. Lat.* XXV, p. 44-45.

[32] Cf. infra p. LVII-LVIII.

[33] De eorum inter se necessitudinibus cf. M. Stenzel, *Die Konstanzer und St. Galler Fragmente zum altlateinischen Dodekapropheton*, in *Sacris Erudiri* V, 1953, p. 27-85.

[34] Lowe, C.L.A. VIII, 1959, n. 1174.

[35] Cf. B. Becker, *Catalogi Bibliothecarum antiqui*, Bonnae 1885, p. 18, num. 106.

[36] *Die Konstanz-Weingartener Propheten-Fragmente*, Lugduni Batavorum 1912.

[37] *Konstanzer altlateinische Propheten- und Evangelien-Bruchstücke mit Glossen* (Texte und Arbeiten I, 7-9), Beuronae 1923; *Neue St. Galler vorhieronymische Prophetenfragmente* (T. und A. I, 31), Beuronae 1940.

[38] A. Dold, *Konstanzer...*, p. 22, autumabat quaterniones deperditos VII-XXV satis spatii praebuisse ut in eis Isaie et Hieremiae prophetiae continerentur; eos quaterniones D. De Bruyne, *Deux notes sur les fragments des Prophètes en écriture onciale provenant de Constance*, *Revue Bénédictine* 43, 1931, p. 159-160, Hieremiam tantum contendit continuisse. Cuius argumentis commotus A. Dold, *Neue St. Galler...*, p. 9-10, Dodekapropheton ad calcem codicis reiecit. M. Stenzel denique, op. laud. (n. 33), p. 30, ordinem prophetiarum Is Ier Dodekapropheton Ez Dn fuisse opinatus est.

Isaiae et Hieremiae prophetiis in quaternionibus I-XXV praemissis, qui omnino perierunt.

Hiezechielis haec supersunt: 8, 1-7; 12, 2-7. 13-18; 16, 52-17, 6; 17, 19-18, 17; 20, 18-47; 24, 25-25, 14; 26, 10-27, 19; 28, 1-17; 32, 4-10. 21-32; 33, 4-11. 15. 20-30; 34, 4-12; 42, 5-6. 14; 43, 22-44, 5; 44, 19-45, 2; 46, 9-47, 15; 48, 22-30.

A latere dextro et sinistro uniuscuiusque columnae adnotationes litteris uncialibus « in quarto », ut dicitur, eodem tempore scriptae sunt quo codex confectus est [39]; duabus ex eis in ipsum textum insertis (num. 2 et 53, ad *Os* 8, 3 et ad *Ioel* 1, 11), patet amanuensem exemplar iam adnotationibus instructum ante oculos habuisse; quod corroboratur mira marginum amplitudine quibus laterculi separantur. Quae adnotationes, etsi Origenis mentionem faciunt [40], exegesin litteralem et, ut ita dicamus, textualem, potius quam allegoricam sapiunt; adscriptae sunt enim lectiones variae ex LXX et aliis interpretationibus hexaplaribus non solum latine sed etiam graece repetitae, inter quas duae « aliis » attributae (num. 21 « magis alii *gabaa* »; 54 « thamuz: *adonis* »), quae, etsi cum Vulgata hieronymiana concinunt, ex ipsis interpretationibus hexaplaribus depromptae videntur, ut ex verbo « aliis », quibus indicari solent, licet opinari.

176 *Codex sangallensis* [41], *Abb. 1398b*, laciniis ex legaturis plurium codicum extractis ab Ildefonso von Arx saec. XIX sollerter restitutus est. Paginae 78-229 (circ. mm. 370 × 240) bin. column. lin. 36, 42, 44, ex uno eodemque codice effluxerunt, in Italia septentrionali saec. IX litteris minusculis carolinis exarato. Praeterea, duo fragmenta (XXIII-XXIV) in Bibliotheca centrali turicensi adservantur, atque aliae laciniae sangallenses nuper repertae sunt et in unum collectae [42]. Supersunt folia non solum librorum I-II Esdrae, Isaiae, Hieremiae, I-II Macchabeorum, secundum recensionem vulgatam, sed etiam Hiezechielis, Danihelis, prophetarum minorum, secundum veterem interpretationem. Qui ultimi libri ex codice 175 sunt descripti [43], interposito fortasse quodam codice hic illic emendato [44]. Libros quoque Isaiae et Hieremiae, etsi secundum

---

[39] Viri docti, cum observassent compendium *dn̄s* in textu, *dn̄s* autem in adnotationibus usurpari, censuerunt alterum scribam eumque seriorem adnotationes exscripsisse. Nihil tamen prohibet quin idem librarius ad adnotationes in marginibus scribendas stilum quoque variarit atque scripturas compendiarias praeoptarit obsoletas.

[40] Cf. adn. 40, ad *Mi* 4, 8: « *ex babylonia* alii non habent, ut Origenis dicit ».

[41] Cf. A. Dold, *Konstanzer...*, p. 225-227.

[42] Cf. A. Dold, *Neue... Fragmente*, p. 1-21.

[43] In cod. 175, *Ez* 20, 47 verba *saltui nabeg* (pro *nageb*) linea desinente inepte dividuntur *saltu inabeg*; item una eademque linea *saltu inabeg* 176. Dn 8, 2 verba *eram supra* corrupta sunt in 175 *ERAHISUIRA*; 176 *erahi sui ra.*

[44] A. Dold, *Neue... Fragmente*, p. 14-15, locos 32 enumeravit in quibus 176 a 175 discre-

Hieronymi interpretationem traditos, ex eodem tamen antiquo codice 175 exscriptos arbitratus est A. Dold. At quis crediderit virum eruditissimum, qui ad codicem 175 adnotandum ad recensionem graecam lectionesque hexaplares adire potuit, partem tantum corporis prophetici secundum translationem vulgatam habuisse, aut exscribere voluisse? Verisimilius est librario qui codicem 176 exaravit partem tantum codicis 175 iam mutili obtigisse.

Exstant *Ez* 7, 11-11, 20; 13, 15-16, 46; 17, 24-22, 4; 23, 25-25, 4; 29, 8-31, 10; 33, 6-34, 21; 35, 4-15; 36, 4-11; 38, 14-40, 12; 48, 10-35.

177 *Codicis wirceburgensis* [45], *Bibl. Univ. Mp. th. f. 64a* paginae 17-20, 29-46, 49-50, 97-132, 169-268, 277-280, 295-316 (mm. 263 × 223, ⟨175 × 150⟩), bin. column. 25 lin. litteris uncialibus saec. v in Italia exaratae sunt, et in monasterio, ut videtur, luxoviensi anno circ. 700 rescriptae. Corpus propheticum hoc ordine continebat codex antiquus: Dodekapropheton, Isaiam [46], Hieremiam, Lamentationes, Hiezechielem, Danihelem. Prophetiae Hiezechielis haec exstant: 24, 4-21; 26, 10-27, 4; 34, 16-35, 5; 37, 19-42, 18 (omissis cap. 38-39); 38, 6-26 (ordine praepostero); 45, 1-46, 9; 48, 28-35. Usi sumus editione ab E. Ranke curata [47].

De capitulorum distributione in codicibus 175 177 et in serie Aa

Litteris grandioribus, quae extra columnas excedunt, textus hic illic in codicibus 175 177 distinguitur. Illae distinctiones cum capitulis seriei Aa [48], quae ad prophetas secundum veterem latinam interpretationem distribuendos confecta esse, et in hieronymianam postea introducta compertum habemus [49], saepe faciunt, ita tamen ut cum versibus cohaereant ad quos capitula Aa referuntur, non autem cum numeris quibus ea capitula nunc instruuntur. Nam re ipsa, duobus vel tribus capitulis inter se sub uno numero coniunctis [50], pluria sunt capitula Aa quam numeri (CXXVII) quibus computantur. Item in codicis 175 marginibus litterae initiales numeris interdum signatae sunt, sed rarius quam in serie Aa.

---

pat. Saepe lectio recentior librario sive negligenti sive nimis diligenti attribui potest, sed interdum orta est ex emendatione inter lineas posita et in contextum praepostere inserta, ex. gr. *Ez* 8, 12: « quoniam dixerunt dereliquit *dominus non respicit* dominus terram », quo in loco codicis 175 dispositio lectionis variae non reddit rationem.

[45] Lowe, C.L.A. IX, 1959, n. 1419-1420.

[46] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. xxiii, adn. 12; *XIV*, p. xxiv.

[47] *Par Palimpsestorum Wirceburgensium*, Vindobonae 1871.

[48] Cf. infra, p. 11-30.

[49] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. 9.

[50] Exempli gratia Aa V: Ubi cibatur propheta volumine libri a Domino (3,1) et mittitur ad filios Israhel (3,4).

Hic proponantur loci ubi litterae initiales in 175 occurrunt, numeris qui in marginibus leguntur inter uncinos collocatis; versus qui cum distinctionibus Aa concordant typis distinguimus italicis: 8, 4. *5*. 6. *8*. 13 (= VIII).15. *16*[...]; 12, *3*. *17*[...]; 16, *59*; 17, 1. 3(= XVI)[...]. 19. *22*; 18, *1*(XVII). *3*. *14*[...]; [...]; 20, 19. *27*. 30. 31b. 33(= XVIIII).39. 46. 47 [...]; 25, 1. *2*. 3. 4. *6*. 7. *8*. *12*. 13[...]; 26, *15*. 19; 27, *3b* [...]; 28, 6. 7. 11 (= XXVIIII)[...]; 32, 32[...]; 33, *6*(= XXXIII). 7. 9. 10. *11*. 20. 22. *23*. 29. *30*[...]; 34, 10. 11[...]; 43, 27; 44, 1. *2*. 4. *5*[...]. 31[...]; 46, *12*. *16*. 17. *19*(= XLV ut videtur). *20*; 47, 6. *13*[...]; 48, 29.

In codice quoque 177 oracula litteris grandioribus ita distinguuntur, ut alibi multiplicentur, alibi vero omnino deficiant: 24, 6. 8. *14a*. 14b. 15. 17c. 18. 19. 21b[...]; 26, *15*. 19; 27, 1. *3c*[...]; 34, *17b*. *20*. *25*. *29*; 35, *1*. *3b*[...]; 37, 21b; 42, *15*[...]; 38, 10b. 14. 17. 20[...]; 45, *9*. 13. *18*. *21*. 25; 46, *1*. *2*[...]; 48, 33. Nulla littera maiuscula neque 40, 1, neque cap. 40-41 scripta est.

Cum in Hiezechielis ratione dicendi oracula iteratis formulis introducerentur [51], amanuenses de litteris initialibus ubi essent collocandae dubitantes litteras grandiores ad initia signanda multiplicaverunt; exempli gratia, litteris grandioribus 8, 4. *5* initium unius eiusdemque oraculi signatum videtur; item 8, 15. *16*; 20, 46. 47; 25, 1. *2*; 33, 22. *23*; 44, 1. *2*; et alibi. Quae si attenderis, numerus locorum in quibus codices saepius quam Aa distinguunt aliquantum minuetur. Loci in quibus codex 175 cum Aa discordat hi sunt praecipui: in Aa non distinguuntur 17, 1. 3; 20, 30. 31b. 33. 46; 28, 6; 32, 32; 48, 29; distinguuntur autem 17, 24; 44, 23.

Capitulis codicum veteris interpretationis ita digestis, censendum est in editionibus antiquioribus litteras grandiores esse additas vel omissas, in serioribus vero titulos initio prophetiae esse collocatos, ac numeros in marginibus, ut ad locos referrentur, appositos. Distributioni capitulorum Aa non plus aequo est fidendum, ut quae, etsi complures in codices diffusa, traditionem tamen singularem, quae in translationem vulgatam sit introducta, repraesentet.

---

[51] Exempli gratia 8, 4. 5. 6 ad unum oraculum pertinent: « et ecce ibi gloria... et dixit ad me... et dixit ad me »; 8, 15. 16: « et dixit ad me... et introduxit me... »; 25, 1. 2: « et factus est sermo domini dicens: fili hominis... ».

Caput II
DE TRADITIONE INDIRECTA

I. De Hieronymi Commentariis

Hiezechielis translationem anno 397 perfecit Hieronymus, ut ex praefatiuncula patet, in qua Rufinum quod Pamphili Apologiam in latinum paulo ante convertisset atque divulgasset dente carpit atro (cf. infra p. LXVII); Commentariorum vero in eamdem prophetiam libros XIV annis 411-414 conscripsit.

Hieronymi Commentaria in libros prophetarum M. Adriaen et F. Glorie in Corpore Christianorum nuper ediderunt; codicum tamen ob multitudinem ab editione vallarsiana ab integro retractanda supersederunt. Commentaria tantum in Hieremiam S. Reiter in Corpore Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (1913) secundum leges criticas recensuerat; quae editio optima in Corpore Christianorum, omissis tamen verborum indicibus, publici iuris denuo facta est. Adriaen editionem vallarsianam Commentariorum in Isaiam et XII Prophetas repetiit, lectionibus nonnullorum antiquiorum codicum optimis in apparatum consulto reiectis; Glorie autem libros in Hiezechielem[1] et in Danielem emendandos ita suscepit, ut pauciores codices adhibuerit quam ut eorum necessitudines ullo stemmate possent depingi.

Commentariorum in Hiezechielem codex *P* (Paris. lat. 12155, corbeiensis, saec. VIII²) integer servatur; codices *K* (Colon. Cath. 51, intra annos 785-819 exaratus) et *G* (Sangall., Abb. 118, saec. IX) bonae sunt notae, sed mutili; alii vix memorandi sunt. Rhabanum praeterea secundum editionem G. Colvenerii (Coloniae Agrippinae 1617; P.L. 110, 493-1084) Hieronymi Commentariorum testem citavit Glorie; quam editionem item laudavimus, etsi in ea textus biblicus ex exemplari quodam medii aevi contaminatus nobis videtur. Difficilioribus in locis nonnullos Bibliothecae Vaticanae codices addidimus; qui sunt *R* (Vatic. lat. 326, Remensis, saec. IX-X; in quo cap. 1-24 a duobus amanuensibus, R^{A} saec. XII, R^{B} saec. XV, sunt suppleta), *V* (Vatic. lat. 10250, saec. IX-X, qui cap. 31-39 tantum praebet), *W* (Vatic. lat. 325, saec. XI-XII; cap. 1-20). Editiones I. Martianay (1704) et D. Vallarsi (1768) haud parvae sunt auctoritatis, quamquam quibus codicibus fultae sint vix potest dinosci.

---

[1] S. Hieronymi *Commentariorum in Hiezechielem Libri XIV* (Corpus Christianorum, Series latina, LXXV), Turnholti 1964.

Expositionem suam Commentator in pericopas digessit, quibus praefixit lemmata bina, unum iuxta hebraicum, alterum iuxta editionem Septuaginta virorum; quae sicut in voluminibus XIII et XIV siglis *HI* et *HI*(𝔊) in apparatu distinximus, nisi, aliis Hieronymi operibus additis, Commentariorum in Hiezechielem lemmata plane *HI Ez* vel *HI Ez*(𝔊) signare oportuit. Quibus siglis ad lectiones in Corpore Christianorum receptas refertur, non vero ad lectiones veras quas, ut supra diximus, ex apparatu saepius haurias necesse est. Ubi lemmatis verba in expositione repetuntur, *HI* $^{2}/_{2}$ vel $^{3}/_{3}$ notavimus; si autem ipsa expositionis verba afferenda sunt, *HI* « *in expositione* » scripsimus, addito lineae numero in Corporis Christianorum volumine. Cuius expositionis testimonium caute ponderandum est, cum saepissime Commentator eruditus Graecorum sententias ita repetierit, ut eis tamen non assentiret.

Cum Hiezechielis pleraque oracula essent profusiora editioque graeca ab originali parum discreparet, atque lemma *HI*(𝔊), si esset ad verbum citatum saepe nihil fere novi attulisset, Hieronymus lemmata longiora [2] non iteravit, sed quas Septuaginta interpretes proprias habebant lectiones inter uncinos, ut ita dicamus, verbo *sive* aut *vel* praemisso, in *HI* lemma intexere maluit. Versus 440 numeravimus binis lemmatibus, 830 vero singulis introductos. In his 830 lemmatibus, lectiones 550 a translatione vulgata discrepantes, in illis 440, lectiones 200 tantum computavimus; ergo sicubi lemma hebraicum cum graeco commixtum est, lectiones a Vulgata discrepantes multiplicantur. Quae immutationes cum plerumque sint levissimae, lemmata *HI* translationem vulgatam iam absolutam (anno 397) supponunt. Hieronymus ille quidem variationibus numquam non indulsit; editionem enim latinam ita veritati hebraicae inservire faciebat, ut quod ipse olim scripsisset sacrosanctum sibi ipse esse minime arbitraretur. Huc accedit quod vir litterarum studiosus variationemque affectans, suis in lemmatibus editionem vulgatam modo iuxta hebraicum limabat et emendabat, modo ad veterem latinam, ut asperitates quasdam hebraicas exaequaret, accommodabat.

Nonnulla afferantur exempla in quibus interpretationem vulgatam Commentator in lemmate *HI* secundum hebraicum vel Hexapla correxit:

2, 3 *patres*] *ipsi et patres HI* cum 𝔓𝔊; quae lemmatis lectio in expositione (lin. 708) corroboratur et Vulgatae lectioni expresse opponitur: « non solum patres, sed et filii ». Intelligi nequit cur Hieronymus anno 397 verba *ipsi et* praetermiserit.

3, 4 *vade* (*ad domum Israhel*)] *vade et ingredere HI* $^{2}/_{2}$. Item 𝔓, sine copula *et*. Ab huiusmodi asyndetis, quae hoc in capitulo quater offenduntur,

[2] « Multum est si utramque ponam editionem, et librorum extenditur longitudo, maxime ubi aut nulla aut parva distantia est; ponam igitur nonnulla quae discrepant » p. 285, lin. 235-237; cf. p. 317, 1162-1164; p. 349, 475-477; p. 437, 96-98; p. 456, 710-714; p. 483, 122-125.

toties in Vulgata Hieronymus elegantiae gratia temperavit: 3, 1 *vadens loquere*; 3, 22 *surgens egredere*; 3, 23 *surgens egressus sum*. In lemmatibus autem *HI* aut hebraismum servavit (3, 1 *vade loquere*; 3, 22 *surge egredere*), aut addita copula mitigavit (3, 4 supra; 3, 23 *surrexi et egressus sum*). In expositione 3, 4 (lin. 877) Commentator, dum in verbo *ingredere* paulum consistit, translationem vulgatam reprehendit: « ostenditur non fuisse (Hiezechielem) cum populo peccatore, licet in isdem videretur finibus commorari... separata enim erat prophetae conversatio »; deinde « cum fuisset ingressus (Moyses)... ».

7, 25 *angustia superveniente*] *angustia adest HI* cum 𝔊. In expositione confitetur Hieronymus se olim nimis laxe transtulisse (lin. 1094): « nos autem iuxta Symmachum priorem sententiam cum posteriore coniunximus ».

Alios confer locos in quibus quoddam idioma liberius in Vulgata, in lemmate autem ad verbum redditum est: 2, 7 *ergo*] *et*; 2, 9 *qui*] *et*; 3, 6 *mittereris*] *mitterem te*; 3, 22 *facta est* + *ibi* (in expositione, lin. 1095: « quod ex hebraeo transtulimus *ibi* et in Septuaginta non habetur, significanter positum est, nec dubium quin locum significet »); 7, 14 *uniuersum populum*] *omnem multitudinem*; 8, 3 *adduxit* + *me*; 8, 17 *HI* om. *hoc*; 9, 8 *heu heu heu*] *heu*; 9, 11 *in dorso suo*] *in lumbis suis*; 10, 2 *manum tuam*] *manus tuas*; ceteraque huiusmodi.

Haud tamen negandum est Commentatorem interdum lemma *HI* ad traditionem graecam vel fortasse ad veterem latinam scite accommodasse. Exempli gratia 31, 18 Vulgata cum 𝔊 *ipse* (*est Pharao*)] *HI* (in lemmate l. 95; item in expositione 202, 204) *sic*; *HI* in fine expositionis (l. 374-376): « *ipse*, siue iuxta Septuaginta *sic*, ... *sic* et Aegyptius ». Codicibus graecis omnibus *οὕτως* habentibus, Ziegler recte restituit *οὗτος* cum 𝔊[3]. Liquet Commentatorem *sic* legere maluisse, editionemque vulgatam prius consulto immutasse quam notario expositionem dictaret; nam ipse in expositionis fine animadvertit lectionem *ipse* exsistere variam, quam codicibus graecis corruptis nimis confisus recipere noluit.

Adde, si placet, hos versus, in quibus translatio Vulgata cum 𝔊, *HI* autem bis cum 𝔖 facit: 22, 25 *animam* (*devoraverunt*), sensu collectivo] *animas* (l. 676, 718); 35, 11 *per eos*] *tibi* (l. 369, 499).

Alibi lemma a vulgata editione mire dissentit, cum expositio ad eam redeat. Exempli gratia 7, 8 Vulgata et expositio (l. 707) *scelera tua*] *HI* (l. 190) *abominationes tuas* cum 𝔖; 25, 14 Vulgata cum 𝔊 *scient vindictam meam*, quae insolens verborum coniunctio hebraicum redolet] *HI scient indignationem meam*, expositionis l. 293 « meam expleant indignationem »,

[3] Cf. *Ezechiel*, ed. J. Ziegler (*Septuaginta*, XVI, 1), Gottingae, 1952.

l. 295 « intellegant iustam fuisse uindictam », l. 311 « intellegat uindictam ad hoc profecisse », quibus locis, idiomate studiose alio atque alio modo reiecto, vox *vindicta*, sicut in Vulgata legebatur, in fine vicit; 36, 2 et 12 Vulgata et expositio (l. 589, cf. l. 720) cum 𝔅 *in hereditatem*] *HI* (l. 529, 571) *in possessionem* cum 𝔖. Itaque Hieronymus, cum haec lemmata translationi vulgatae aliquantulum dissimilia dictaret, vel asperitates quasdam hebraicas statuit esse levigandas, vel vocabulis linguae christianae (velut *abominationes*) indulsit; cum autem expositionem conficeret, vocabula quibus hebraicum apte reddiderat ipsa recurrerunt.

Lectiones *HI* quotiescumque alicui codici suffragantur, in apparatu rettulimus. Ex quo non continuo coniciendum codicem lectionem veram praebere, utpote qui aut casu cum *HI* concinere possit, aut lectionem *HI* e Commentariis sumpsisse, quod emendationibus quoque manus alterius (velut Θ^{M2} vel M^2) manifestatur. Quae omnia perpendat oportet qui apparatum nostrum prudenter legere intenderit.

II. De Gregorii Magni Homiliis

Quas anno 593 exeunte Gregorius Magnus coram populo homilias habuerat, eas anno 601 duobus voluminibus retractatas vulgavit; in quibus capitulorum 1-3 et 40 Hiezechielis mystica rimatus est. Homilias antiquis codicibus usus sollerter recensuit M. Adriaen et in Corpore Christianorum [4] edidit.

Singulos prophetiae versus, vel potius minutissima uniuscuiusque versus membra, suis in orationibus ponere et indefesse repetere solebat Gregorius iuxta Hieronymi translationem. Cum recensione quam secutus est mire conspirat codex bobiensis Q, qui cum fragmento d tam arte conectitur ut eius credatur esse apographon; ad eamdem traditionem, quacum codex theodulfianus antiquissimus Θ^s semper fere concinit, codex quoque ambrosianus Γ^A, etsi valde mutilus atque hic illic corruptus, pertinet. Denique codex casinensis Π^L tam multas lectiones cum $dQ\Theta^s\Gamma^A$ et Gregorio communicat, ut ex eadem traditione, Gregorii temporibus Romae vulgata, haud pauca hausisse censeatur.

Quarum necessitudinum haec exempla afferantur, quae pauca quidem esse videntur; sed quattuor tantum prophetiae capitibus a Gregorio explanatis, plura certe sunt quam ut sint parvi facienda:

1° Lectiones Gregorio cum $\Theta^sQ(\Gamma^A)$ communes hae sunt, lectionibus quibus alii codices cum his faciunt omissis:

1, 22 om *et* (2°). – 3, 12 + *dicentis*; cf. *GR-M* in expositione, l. 432, « dicentem ». – 3, 23 *vidi*] *videram*; cf. *GR-M* in expositione, l. 185, « vi-

[4] Corpus Christianorum CXLII, Turnholti 1971.

derat ». – 3, 23 *fluvium*] *flumen* (item Σ^{T}). – 24, 4 + *et*. – 37, 6 *vobis*] *vos*. – 40, 42 ~ *unius cubiti* (item RY). – 40, 42 *ponant*] *ponunt* (item Δ^{L}f).

In libris quoque Moralium in Iob duos versus Hiezechielis laudat Gregorius cum varietatibus, quae etsi minimi ponderis, sunt quoque cum $\Theta^{s}Q(\Gamma^{A})$ communes: 28, 13 ante *topadius* praem. *et* (item Δ^{L}RY); post *topadius* om. *et GR-M* cum Π^{L} et 𝔅. – 32, 27 (*descenderunt*) *ad*] *in* (item $\Delta^{L}\Omega^{sJ}$*).

Lectionem difficilem codicum $\Theta^{s}Q$ cum *GR-M* unam, aliis testibus inter se discrepantibus, probam esse arbitramur, praesertim cum Hieronymus lectionem simillimam alibi (21, 14) praebeat: 3, 13 *altera ad alteram* (cf. infra p. LXIV). Gregorii lemma (l. 518) corruptum est, ut patet ex editionis Adriaen apparatu; in expositione vero « altera », vel « una », vel « ala » in nominativo recurrunt lin. 527 (bis), 536, 557, 565, 568, 570 (in optimo codice *G*). Uno tantum vel altero loco (lin. 534, cf. 570), ubi *alteram ad alteram* legitur, accusativus ipsa verborum structura postulatus est.

2° Lectiones Gregorio cum $\Theta^{s}Q(\Gamma^{A})$ et Π^{L} communes hae sunt:

1, 12 + *eorum* (item Φ). – 1, 22 *caput* cum 𝔖] *capita* (*GR-M* $^{5}/_{5}$) cum 𝔅. – 1, 24 *sonus* (2°)] *sonitus* (*GR-M* $^{4}/_{4}$; item X). – 2, 8 om. *ego*. – 3, 11 (*ad transmigrationem*) *ad filios*] *filiorum*, lectio facilior. – 3, 15 *ubi*] *ibi ubi* (*GR-M* secundum cod. *G* antiquissimum). – 14, 16 *qui*] *si* cum *HI* (om. Θ^{s}).

3° Lectiones recensionis $\Theta^{s}Q$, quas erroneas Gregorius non accepit:

1, 1 *vidi visiones*] *divisiones* Q*, *visiones* Θ^{s}* ut vid.; mendum subarchetypi, unde lectio Θ^{s}* effluxit, facile correctum est in $Q^{2}\Theta^{s2}$, et fortasse in Gregorii exemplari. – 1, 4 *ventus turbinis*] *turbidinis ventus*. – 1, 15 (*aspicerem*) *in* (*animalia*). – 1, 21 (*sequentes*) *ea* (= *animalia*)] *eam*. – 1, 22 *in firmamento*. – 2, 2 *et* (1°) om. – 2, 9 *illum* (*librum*)] *illud*. – 3, 10 (*adsume in corde tuo et*) *in* (*auribus tuis audi*). – 3, 12 (*audivi post me vocem commotionis magnae*) + *dicentis*. – 3, 26 *adhaerescere*] *adhaerere* $\Theta^{s}\Pi^{L}$T; *adhere* Q, librario fortasse ambigente utram formam eligeret.

4° Lectiones Gregorii erroneae, quibus a $\Theta^{s}Q$ dissentit:

1, 1 *in quarto* + *mense*, cum AOΠ^{L} al. – 1, 1 *dei*] *domini*, cum OΠ^{L}. – 1, 8 (*in quattuor*) *partibus*] *partes*, cum R^{A}. – 1, 16 *quasi* + *si*, cum R^{A}Y al. – 1, 25 *supra*] *super*, cum X$\Sigma^{T}\Phi$ al. – 2, 2 *supra*] *super*, cum CΣ^{T}T*S al. – 8, 3 *adduxit* + *me*, cum X$\Delta\Pi^{L}\Theta^{HAMG}$T*S al.

Lectiones quibus Gregorius a $\Theta^{s}Q$ peccantibus discrepat (num. 3°) non sunt magni momenti, quippe quas minutiores facile, sive de industria, sive alio quodam exemplari adhibito, sanare potuerit. Ceterum editioni non plus aequo fidendum, cum M. Adriaen eiusmodi quisquilias praetermisisse videatur. Lectiones vero erroneae (num. 4°), quibus Gregorius cum

aliis codicibus a $\Theta^{s}Q$ discedit, potius Gregorio, etsi duae in traditione $O\Pi^{L}$ inveniuntur, quam cuidam origini certae et definitae sunt referendae.

Lectiones autem quibus Gregorius cum $\Theta^{s}Q$ assidue concinit (cf. num. 1° et 2°) pluris sunt faciendae, cum eiusmodi non sint quas sive Gregorius, sive librarii vel editores in homilias introducere potuerint.

III. De ceteris Patribus

Hieronymi editionem Augustinus iam legebat, eamque hic illic laudavit: *De civitate Dei* (*AU ci*) 18, 34 (*Ez* 37, 22-23; cf. infra p. LXIX). Item usurpatur in Speculo « Quis ignorat » (*AU spe*); invenitur quoque apud Cassianum (*CAn*), Eucherium (*EUCH*) recentioresque scriptores[5]. Antiquiores vero Patres, cum veterem translationem latinam eiusdem generis atque codices mutili 175-177 protulerint, non citavimus nisi quo nostrorum codicum lectiones variae declararentur. Schedulas in abbatia beuronensi adservatas consuluimus omnes; quas qui Veteri Latinae edendae praesunt humanissime nobis communicaverunt.

Versus saepius prolati hi sunt: 3, 17-19; 11, 19; 13, 18-19; 16, 3-4; 18, 2-4. 20-22. 31-32; 20, 25; 28, 12-16; 33, 6-9. 11-12. 14; 34, 4; 36, 22-27; 44, 2.

IV. De codicibus liturgicis

Hiezechielis prophetiae nonnihil continent codices liturgici; eos siglis beuronensibus signatos in apparatum rettulimus. Cum eidem fere sint quos in volumine XIV citavimus, nihil de eis amplius dicemus nisi saeculum quo quisque sit scriptus.

32 *Codex* rescriptus *guelferbytanus*[6] *wissemburgensis 76*, ann. circ. 500. Continet excerpta ex *Ez* 14, 33, 34, 36, 37; versus autem allatos suo quemque loco indicabimus.

57 *Codex selestadiensis*[7] *1*, saec. VII-VIII: *Ez* 3, 5, 14, 18, 37.

182 In *codice veronensi*[8], *Bibl. Capit. II* (*2*), fol. 1^{v}, veronensis quidam saec. VIII litteris cursivis minusculis lectionem *Ez* 36, 22-28 exscripsit secundum veterem interpretationem latinam.

---

[5] Pelagius (*PEL*) atque Iulianus Aeclanensis (*JUL-E*) veterem quamdam interpretationem latinam usurpasse videntur.

[6] Ed. A. Dold, *Das älteste Liturgiebuch der lateinischen Kirche* (Texte und Arbeiten 1, 26-28), Beuronae 1936.

[7] Codicem ipsi contulimus.

[8] Lowe, C.L.A. IV, 1947, n. 477.

251 *Codex parisinus* [9] *lat. 9427* seu lectionarium luxoviense, ann. circ. 700: *Ez* 34, 37, 43, 44.

τ Liber commicus liturgiae visigothicae [10], cuius exemplaria usurpata sunt quinque:

τ^{56} (*Silensis*) *Parisinus lat. nov. acq. 2176*, ante a. 1041: *Ez* 28, 33, 36, 37;
τ^{68} *Toletanus, Capit. 35-8*, saec. XII: *Ez* 18, 34;
τ^{69} *Legionensis, Cathedr. 2*, ante a. 1071: *Ez* 28, 33, 36;
τ^{70} (*Aemilianensis*) *Matritensis, Bibl. Acad. Hist. 22*, a. 1073: *Ez* 28, 33, 34, 36, 37;
τ^{71} (*Carcasonensis*) *Parisinus* [11] *lat. 2269*, saec. VIII-IX, rescriptus: *Ez* 13, 18.

Brev.Goth. Breviarium gothicum [12]. Leguntur pericopae ex cap. 9, 10, 11, 18, 20, 25, 28, 29, 33, 34, 35, 36, 39. Cum huic editioni non nimis sit fidendum, paucas lectiones tantum citabimus quae a Vulgata clementina discrepant.

Cant Unum modo canticum (36, 24-28) cum in liturgia mozarabica, tum in benedictina ex libro Hiezechielis depromptum est:

411 (*Silensis*) *Londiniensis* [13], *Add. 30851*, saec. XI.
Cant Ben t (*Trevirensis*) *Manchesteriensis* [14], *John Rylands Bibl. lat. 116*, saec. IX ex.;
c (*Casinensis*) *Vaticanus, Urbinas lat. 585*, a. 1099-1105;
n (*Narniensis*) *Vaticanus lat. 7172*, saec. XI.
b (*Beneventanus*) *Vaticanus lat. 4928*, saec. XII.

Ceteri quoque libri liturgici, qui raro citandi sunt, siglis beuronensibus designantur:

ANT- Antiphonalia: *ANT-M* = mozarabicum legionense [15]; *ANT-R* = romanum [16]; *ANT-S* = sinaiticum [17].

Berg Sacramentarium bergomense [18]; in editione Veteris Latinae beuronensi nunc siglo μ^{B} designatum.

---

[9] Ed. P. SALMON, *Le lectionnaire de Luxeuil* (Collectanea Biblica Latina 7), Romae 1944.

[10] Ed. J. PEREZ DE URBEL-A. GONZALEZ Y RUIZ-ZORRILLA, Matriti 1950-1955.

[11] Ed. A. M. MUNDÓ, *El Commicus Palimsest Paris Lat. 2269 amb notes sobre liturgia...*, *Liturgica I* (Scripta et Documenta 7), Montis Serrati 1956, 151-275.

[12] Secundum editionem lorenzanianam, Matriti 1775 = P.L. 86.

[13] Ed. J. P. GILSON, *The Mozarabic Psalter* (Henry Bradshaw Society 30), Londini 1905.

[14] Cantica benedictina ipsi contulimus.

[15] *Antifonario Visigotico Mozarabe de la Catedral de León*, ed. L. BROU-J. VIVES, Barcinonae-Matriti 1959.

[16] *Corpus Antiphonalium officii*, ed. R. J. HESBERT, III-IV, Romae 1968-1970.

[17] Ed. E. A. LOWE-B. FISCHER, in *Revue Bénédictine* 74 (1964), 256-279.

[18] Ed. A. PAREDI, Bergomi 1962.

M- Missalia: *M-A* = ambrosianum [19]; *M-Bo* = bobiense [20]; *M-M* = mozarabicum [21]; *M-R* = romanum [22]; *M-St* = Stowe missale [23].

RES-R Responsoriale romanum [24].

S- Sacramentaria: *S-Gr* = gregorianum [25]; *S-L* = leonianum [26]; *S-Mo* = mozarabicum [27].

---

[19] *Missale Ambrosianum duplex*, ed. A. Ratti-M. Magistretti, Mediolani 1913.

[20] *The Bobbio Missal*, ed. E. A. Lowe (Henry Bradshaw Society 58), Londini 1920.

[21] P.L. 85.

[22] *Antiphonale missarum sextuplex*, ed. R. J. Hesbert, Bruxellis 1935.

[23] *The Stowe Missal* II, ed. G. F. Warner (Henry Bradshaw Society 32), Londini 1915.

[24] *Corpus Antiphonalium Officii*, ed. R. J. Hesbert, IV, Romae 1970.

[25] *Das Sakramentarium Gregorianum*, ed. H. Lietzmann, Monasterii 1921.

[26] *Sacramentarium Veronense*, ed. L. C. Mohlberg, Romae 1956.

[27] *Le Liber Mozarabicus Sacramentorum*, ed. M. Ferotin, Parisiis 1912.

Caput III
DE CORPORIS PROPHETICI RECENSIONIBUS

Librorum sacrorum exemplaria non ita alia ab aliis emanarunt, ut, mendis a librariis temporum progressu paulatim multiplicatis, ordo propagationis, codicum familiis singillatim distinctis, clare possit discerni. Etenim librarii, cum Veteris etiam Testamenti libros in promptu complures haberent, codices exemplaribus inter se collatis emendare studuerunt, lectionesque introduxerunt quibus ratio propagationis adeo turbaretur et occultaretur, ut stemmate vix exprimi atque eius leges ad nescio quam aeneam recensorum regulam possint redigi. Quae propagatio lectionibus quibus stirpes diversae concrepant confuse tantum declaratur. In volumine tamen XIII codicum lectiones retinuimus omnes, ut eis statistice computatis textus historiam, quae dicitur, adumbrare possemus.

Hoc in volumine viam aliam statuimus ingrediendam, qua iis lectionibus tantum retentis quibus testes pauciores suffragantur, ad exemplaria saltem subarchetypa gradatim accedere valeremus. Cum testes nonnulli essent lacunosi, alia capita alios ad codices explorandos selegimus. Quas collegimus lectiones ita multiplicantur, ut etsi quisquiliae nonnumquam videntur, eas subarchetypis necesse sit assignare. Non desunt tamen lectiones graviores, a recensoribus scite introductae, quibus eorum consilium perspiciatur qui subarchetypos edendos curaverunt.

Recensores, cum interpretatio hieronymiana corporis prophetici oracula perobscura et inter se vix cohaerentia ad verbum reddidisset, non iisdem difficultatibus sunt implicati quibus in libris sapientialibus et historicis exscribendis et edendis aestuarunt. Interpretationes contra veteres, ut quae a Vulgata multum discreparent, in eam haud multum influxisse videntur; quarum reliquiae habentur paucissimae.

Traditio italica tres in familias (AO, $\Theta^{s}Q$, Π^{L}) dividitur; quarum lectiones primum proprias, deinde communes afferemus. Familiae RY et ETSU, in partes transalpinas divulgatae, a traditionibus quoque italicis duxerunt originem. Editio deinde turonensis a traditione ETSU emanavit. Has traditiones omnes, cum inter se cohaereant, prius tractabimus quam codices mutilos, etsi antiquissimos, quorum testimonium haud recte ponderaris nisi eas iam digestas cognoveris. Traditiones autem hispanicas, quarum testes parum inter se consentiant, brevius perstringemus; quae tamen influxerunt, ut compertum habemus, in recensiones aevi carolini. Studium denique quod saeculo nono recensores ad codices inter se conferendos atque secundum Hieronymi commentaria et hebraicum corrigendos impenderunt emendationibus declaratur, manu altera in marginibus introductis.

I. De subarchetypo AkO

Traditionis italicae testis habetur princeps atque notissimus codex Amiatinus (A). Quocum in corpore prophetarum codices QΠ^{L}OΓ^{A}, ut in Isaiae prolegomenis dictum est[1], saepe faciunt, in libro autem Hiezechielis codex O artissime sociatur.

1. De codicis k apographis (OΘ^{AM})

Codex O, in Theodulfi scriptorio anno circ. 800 confectus, ab exemplari italico saeculi sexti exscriptus est, cuius reliquiae k in bibliotheca aurelianensi adservantur. Qui codex k in eodem scriptorio theodulfiano ita porro usurpatus est, ut Θ^{H} nonnullas ex eo lectiones depromeret (cf. infra p. XXXIII-XXXIV), codices deinde Θ^{AM} eum exemplar praecipuum haberent, Θ^{M2} vero lectiones eius saepe respueret, denique Θ^{G} et postea recensiones Ψ^{VD}Ω^{MS} vestigia eius lectionum numquam fere retinerent. Itaque lectiones k temporum progressu rariores reperiuntur.

Ipsius codicis k quod infauste periit suppleri potest, concordantibus inter se A cum O, vel etiam Θ^{A}(Θ^{M}) cum O; nam patet Θ^{A} et Θ^{M}, cum menda O propria non exhibeant, ipsum exemplar k habuisse.

Sed prius quam lectiones AOΘ^{AM} proferamus, oportet quae supersunt folia k cum O et Θ^{AM} diligenter comparentur, ut correctionibus k^{2} subtilius consideratis, quanti sint momenti, k deficiente, lectiones AO, AΘ^{AM}, AΘ^{HAM} communes, rite perpendere valeamus.

2. De correctionibus k^{2}

Quod prophetiae Isaiae et Hiezechielis codex k continet, emendationes octo tantum exhibet antiquissimas, quae omnes fere ad rationem orthographicam attinentes, sunt ante O exscriptum introductae:

Is 7,25 *pasca* k*] *pascua* k^{2}O cet. – 29,9 *vacillate* k*Θ^{AM} cet.] *vaccillate* k^{2}OAQC. – 29,14 *adam* k*] *addam* k^{2}O cet. – 29,17 *nonnne* k*] *nonne* k^{2}O cet. – 30,22 *eas* (*sicut*) k*RS] *ea* k^{2}O cet. – 30,26 *sui* om. k*. – *Ez* 42,7 *longitudo eius quinquaginta cubitorum* om. k* per homoeotel. – 47,18 *iordanes*[2] k*AΘ^{S}QRY] *iordanis* k^{2}O cet. – Praeterea *Ez* 44,28 *erit autem eis* (= *sa-*

[1] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. LIV-LVI.

[2] Quae vox nonnumquam et in Vulgata interpretatione (*Iud* 1, 9; *Is* 9, 1 *iordanen* in accusativo) et in Vetere Latina (*Ps* 113, 3.5 *iordanes γδζη* moz^{C}; item *iordannes* α in nomin., v. 3; *iordanne* α in vocat., v. 5) secundum declinationem graecam flectitur. Lectionem *iordanes*, cum testes graviores ei refragarentur, hic reiecimus; item in Psalterio gallicano et iuxta Hebraeos, locis supra indicatis, in quibus psalterium triplex F fere unum scripturam *iordanes*, quam in recensione antiqua invenerat, ternis in columnis repetivit; item *Iob* 40, 18, ubi notandum A^{2} scripturam *iordanes* suo Marte introduxisse. In libro autem *Ios* (13, 23 et 19, 22) lectio *iordanes*, gravissimis testibus tradita, ab editoribus m recte accepta est.

cerdotibus levitis) *hereditas ego hereditas eorum* k*O* codicesque optimae notae, recte] *non* praem. $k^2O^2\Sigma^{T}\Delta^{LM2}\Lambda^{L}\Phi^{P}SM\Psi^{'D}\Omega$, lectio facilior [3]. In codice O additum est *non* altera manu [4], spatio de industria relicto, amanuensi dubitante utrum k* an k^2 sequeretur; quam lectionem Θ^{H*AMG} quoque acceperunt, Θ^{H2} autem reiecit [5].

Emendationes k^2 quae in Hiezechiele frequentiores occurrunt, in theodulfiano scriptorio introductae sunt, serius quidem quam O, prius vero quam Θ^{AM} sunt exarati; quarum non paucas O^2 quoque accepit. Ergo etsi viri docti codices O et Θ^{SHAM} anno circiter 800 exscriptos opinaverunt, patet Θ^{AM}, ut qui codicem k iam emendatum supposuerint, aliquanto post eius apographum O esse confectos.

Hi sunt loci omnes ubi O codicem k, Θ^{AM} vero emendationes k^2 secuti sunt (primum lectio k*, deinde k^2 notatur):

Is 7,18 *sibilavit* k*O*AΠ^{L}R] *sibilabit* $k^2O^2\Theta^{AM}$ cet. – 7,25 *vobis* k*O* $\Pi^{L}\Delta^{L}$*] *bovis* $k^2O^2\Theta^{AM}$ cet. – 29,8 *athuc* kO*] *adhuc* $O^2\Theta^{AM}$ cet. – 29,17 *chelmel* (1°) k*O*] *chermel* $k^2O^2\Theta^{AM}$ cet. – *Ez* 42,17 *in calamo* [6] om. k*O. – 43,7 *et* (1°) om. k*O. – 43,8 *consumsi* scr. k*O alii] *consumpsi* $k^2\Theta^{AM}$ cet. – 44,27 *ministrent* [7] k*O*Θ^{M2}A alii] *ministret* $k^2O^2\Theta^{AM}$* cet. – 44,29 *omnem* (*votum*) k*O*Π^{L}E] *omne* $k^2O^2\Theta^{AM}$ cet. – 45,5 *viginti quinque milia autem* k*O$\Psi^{'D}$] *viginti autem quinque milia* $\Pi^{L}\Omega$; *viginti quinque autem milia* $k^2\Theta^{AM}$ cet. – 45,9 (*vestra*) *populo* k*OΣ^{T}] *a populo* $k^2\Theta^{AM}$ cet. – 45,15 *de gregem* scr. k*A* et fortasse O*. – 47,12 *afferent* k*OA] *afferet* $k^2\Theta^{AM}$ cet. – 47,14 (*terram*) *quam* (*levavi manum meam ut darem patribus vestris*) k*O* alii, lectio difficilis eaque vera [8]] *ad quam* $k^2O^2\Theta^{H*AMG}$; *in quam* $X\Delta^{LM*}$; *super quam* cet. – 47,16 *beroth* k*O$\Delta^{L}\Omega^{MJ}$] *berotha* $k^2\Theta^{AM}$ cet. – 47,16 *atticon* k*O alii (lectio vera)] *atthicon* $k^2\Theta^{AMG}$. – 48,1 *aethlon* k*O alii (lectio vera)] *aethelon* $k^2\Theta^{AM}$.

3. De lectionibus AO

Sed de paucis reliquiis k hactenus. Nunc autem codicis O auctoritate recognita, lectiones AO (saepe cum Θ^{AM}) singulares quae nobis, prae-

---

[3] Cf. quae subsequuntur eodem versu 44, 28: *possessionem* non *dabitis eis... ego enim possessio eorum*; et *Dt* 10, 9 *non habuit levi partem... quia ipse dominus possessio eius est.*

[4] Lectio k^2 manu antiquiore introducta videtur, quam ut e codice Θ^{H} potuerit emanare; nihil est dubii quin codex Θ^{H} eam a k correcto hauserit.

[5] Codice A cum Θ^{AM} concinente, lectio codicis k deficientis restitui potest, etiam si O ab eis discrepare videatur: 6, 3 (*audite verbum*) *domini dei*] *domini* A$\Theta^{AM*}\Psi^{'D}$QU^2 et *AU spe* cum 𝔖. Quam lectionem O† habuisse censemus: nam vocem *dei* spatio vacuo relicto additam esse suspicamur, quasi exemplar k (k*-k^2) ambas lectiones praebuisset.

[6] Verba *in calamo*, quae v. 16-19 quater recurrunt, omittuntur in Θ^{A} v. 16, quasi hanc lectionem codicis k* (v. 17) praeoptaverit eamque praepostere introduxerit.

[7] Cf. infra p. LXV-LXVI.

[8] Accus. *quam* a *darem* pendet.

sertim in *Ez* 1-20, occurrerunt proferantur (primum lectio vera notatur, deinde AO):

1,1 *visiones*] *visionem* AO cum ΔU^2 et $\mathfrak{G}^L$. – 1,21 (*rotae sequentes*) *ea* (= *animalia*)] *eas* [9] AO*; *eam* Θ^sQ. – 1,22 *extenti*] *extensi* $AO\Theta^{AM*G2}$. – 2,4 (*dura*) *facie*] *cervice* $AO\Theta^{G2}\Psi^{'D}$ cum *GR-M* $^1/_3$, lectio tritior; *facie cervice* Θ^A. – 2,6 *timeas* (2°)] *metuas* $AO\Theta^{AM}$, ex eiusdem versus initio *neque sermones eorum metuas*. – 3,7 ~ *corde duro* $AO\Theta^{AM}$. – 3,13 *altera ad alteram* [10]] *alter ad alterum* AO. – 3,15 (*veni ad transmigrationem*) *acervum* [11] (*fructuum*), cum $\mathfrak{P}$] *in acervum* $AO*\Theta^{AM}*$, lectio facilior; *ad acervum* O^2 alii. – 5,1 *stateram*] *staterem* AO, sive ex 4,10 *viginti stateres*, sive commutatione declinationis. – 7,13 *quia qui vendit*] *qui vendit* AO. Qui recensionem curavit, versu superiore *qui emit non laetetur et qui vendit non lugeat* considerato, v. 13 ad membra superiora inscite accommodavit. – 8,1 (*in anno sexto*) *in sexto mense*] *in mense quinto* AO, cf. *in quinto mense* 176 cum $\mathfrak{G}$; computatio mensis ex Vetere Latina consulto deprompta est, ordine verborum ad priora accommodato. – 8,10 (*depicta in pariete*) *in circuitu* (*per totum*)] *in circuitum* AO*. – 12,3 *ad*] *in* $AO\Theta^{AM}$. – 12,15 *illos*] *eos* $AO\Theta^{AM}$. – 12,16 *narrent*] *enarrent* $AO\Theta^{AMG2}$. – 12,22 (*est proverbium*) *in terra* (*israhel*)] *in terram* AO*. – 12,27 ~ *prophetat iste* $AO\Theta^{AM}$. – 13,17 (*prophetant de*) *corde suo*] *cordibus suis* $AO\Theta^{AM*G2}$. *De corde* numero singulari, iuxta dictionem hebraicam (animadverte inprimis 13,2 cum *prophetantibus*), 14^{es} occurrit in interpretatione Vulgata, numero autem plurali (*de cordibus vestris*) semel tantum (*Mt* 18,35); quem locum evangelicum recensor in mente habuit, nisi modum dicendi graecum ac latinum praeoptavit. – 14,16 (*tres viri isti qui*) *fuerint*] *fuerunt* AO, insulse. – 14,18 (*vivo ego dicit dominus deus*) *non* (*liberabunt*)] *quia non* $AO\Theta^{AMG}$, per accommodationem ad v. 16 simillimum. – 16,45 (*soror sororum tuarum*) *tu* (*quae proiecerunt*)] *tu* (vocat.) om. $AO\Delta S^2U\Omega^M$ cum *HI*($\mathfrak{G}$) 176 et $\mathfrak{G}$, quod mendum facile inrepere potuit. – 16,53 (*convertam reversionem tuam in medio*) *earum* (= *filiarum sodomorum et samariae*)] *eorum* $AO\Phi^G$, habitantibus pro civitatibus sumptis, verba tritissima. – 17,12 (*dic ad domum exasperantem*) *nescitis*] *nec scitis* A, quod explicare nequimus; *nec scietis* O*. – 17,22 (*haec dicit dominus deus*) *et sumam ego* (*de medulla caedri*)] *adsumam ego* $AO\Theta^{AM*\Psi'D}$; particula *et* initio oraculi durior sonabat. – 18,4 *ecce*] *et ecce* AO, sicut 17, 7.18 et saepius. – 18,8 ~ *manum suam averterit* $AO\Theta^A\tau^{68}$ et infra ~ *inter virum fecerit et virum* AO. Versus 18 *κώλοις* quattuor formatur, quorum in prioribus verbum in fine collocatur: *ad usuram non commodaverit, et amplius non acce-*

---

[9] Vox *animalia* et aliae huiusmodi in lingua vulgari ad genus femininum transierunt, cf. W. Meyer-Lübke, *Romanisches etymologisches Wörterbuch*, Heidelbergae ^{3}1953, n. 476, 2; V. Väänänen, *Introduction au latin vulgaire*, Lutetiae Parisiorum 1963, § 224.

[10] Cf. infra p. LXIV.

[11] Accusativus *acervum* appositus est ad accusativum *transmigrationem*. *Acervus fructuum* (hebraice Tell Aviv) locus erat Babyloniae.

perit; idem fecerunt in tertio membro AO, qui in ultimo membro verbum ita seposuerunt ut inter duo nomina elegantius collocaretur. Notandum Θ^{M} lectiones ambas, Θ^{A} alteram tantum respuisse. – 18,16 ~ *vestimento operuerit* AO$\Theta^{AM}\Omega^{s}$. Sicut 18,8 supra, verbis in prioribus membris ter in fine collocatis, in ultimo membro recensor noster verbum in fine quoque posuit. – 18,17 ~ *manum suam averterit* AOE$^{2}\Psi^{'D}$. Idem dicendum. – 20,23 (*ut dispergerem illos in nationes et ventilarem*) *in terras* (= 22,15)] *in terris* AOΔ^{LM} cum ⊛, adsimulatione, ut vid., aliis locis: 30,23 (*nationibus... terris*), 30,26 (*nationes... terris*), 36,19 (*gentes... terris*). – 20,28 (*immolaverunt ibi victimas suas et dederunt ibi irritationem*) *oblationis suae*] *oblectationis suae* AOΦ^{B}. Lectio insolentior, cf. tamen *odorem suavitatis* infra. – 20,47 (*propheta ad saltum...*) *et dices* (*saltui*), cum *HI* et ℍ] *et dic* AO$\Theta^{A\dagger M*G2}$; *et dic ad* Θ^{s}; modo imperativo ex consecutione sermonis[12], cf. 21,28 et 30,2 *propheta et dic*. – Addere liceat 25,5 (*in cubile*) *pecorum*] *porcorum* AO, ad filiorum Ammon ignominiam denotandam. – 27,3 *negotiationi*] *negotia* AO*Θ^{A*M*}. – 27,23 (*aran et chene et*) *eden* (*negotiatores*)] *teden* AOΘ^{AM*}, ad significationem paradisi excludendam. – 29,14 *et reducam captivitatem aegypti* AOΘ^{AMG2}. Hunc *στίχον* arbitramur in exemplari antiquissimo cap. 29 praetermissum, in margine autem suppletum, in subarchetypum esse praepostere (30,4) introductum, deinde in apographo ex quo k exscriptus est alia ex fonte depromptum denuo esse loco restitutum. – 34,21a *inpingebatis* (absolute) + *omnia infirma pecora* A, ex membro subsequente; + *omnia* OE^{2}; et infra 34,21b (*ventilabatis*) *omnia infirma pecora* lectio vera, cum A et ceteris] *infirma pecora* OE^{2}. Quod in subarchetypo mendose repetitum censemus A retinuisse, O(k) autem ita digessisse, ut verbum utrumque accusativo coniungeretur.

4. De lectionibus AOΘ^{H} (= kΘ^{H})

Qui codicem Θ^{H} recensuit nonnullas, ut diximus, lectiones exemplaris k cognovit et retinuit. Inter quas ea in primis notanda est quae 21,29 est introducta. Scripserat enim Hieronymus: *cum tibi viderentur vana et divinarentur mendacia... venit dies in tempore iniquitatis praefinita*, quod oraculum subobscurum esse nemo infitiabitur. Post *mendacia* additur in AO $\Theta^{HAM*G}\Psi^{'D}$ *non est daemonum divinatio sed dei iudicium qui perfectae malitiae dedit finem*. Hanc adnotatiunculam, quae theologiam magis sapit quam exegesin, in subarchetypi margine adscriptam, deinde in ipsum textum erronee insertam existimamus; eiusmodi sententiam, quam in scriptoribus ecclesiasticis invenire non potuimus[13], conici licet ad illum esse referendam qui recensionem AO perfecit.

---

[12] Cf. R. Kühner-B. Gerth, *Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache*, Hannoverae ^{3}1898, § 348, adn. 3; R. Kühner-C. Stegmann, *Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache*, ibid. ^{2}1912, § 22, adn. 1.

[13] Perlustravimus in primis Augustini librum *De divinatione daemonum*, librumque X *De civitate Dei* (contra Porphyrii et Platonicorum theurgiam); interpretationes latinas *Vitae Antonii* (§§ 31-34) ab Athanasio conscriptas; Lactantii *Institutiones* II, 15-17.

Alicubi deprehendes Θ^{H} cum $O\Theta^{AM}$ et quibusdam aliis stirpis k codicibus concinentem, exempli gratia 16,25 + *tibi*; 19,9 + *et*; 23,17 + *in*; 23,35 *porta*] *portabis*; 29,17 + *mense*; 30,20 + *mense*; 30,21 *ut* (2°)] *et*; 32,25 + *et cadentes*; 44,28 + *non*; 47,14 + *ad*. Quibus exemplis alia adici possent, nisi recensio Θ^{H} eas praecipue exemplaris k lectiones recepisset, quae aliorum quoque codicum auctoritate confirmarentur; ex quo efficitur ut eius cum codicibus kO necessitudines non tam liquido appareant.

II. De subarchetypo $\Theta^{s}dQ(\Gamma^{A})$

Gregorium Magnum, etsi vix capita quattuor Hiezechielis suis in homiliis explanavit, codicem quemdam codicibus $\Theta^{s}Q$ adfinem patet usurpasse [14]. Lectionibus cap. 1-4 iam perpensis (p. XXX-XXXIV), restat ut varietates quas $\Theta^{s}Q$ alibi communicant colligamus et ponderemus. Quibus codicibus bifolium d bobiense, saec. VII, opportune adiungitur, quippe in quo reliquias habeamus eius exemplaris, ex quo codex quoque bobiensis Q exscriptus est, ut firmissime probatur lectionibus innumeris quibus inter se conectuntur. Ad eamdem pertinet recensionem codex Γ^{A} mutilus, sed eam cum editionis Φ et aliarum traditionum lectionibus commiscuit.

Codicibus dQ et Γ^{A} traditionem bobiensem et ambrosianam exhibentibus, censere licet exemplar ex quo Θ^{s} manavit iis codicibus adnumerandum esse, qui ex Italia ad ripas Ligeris sunt asportati [15].

Huius recensionis lectiones hic illic ut veras accipere non dubitavimus, exempli gratia 1,1 *in quarto*, cum ΦTS. – 3,13 *altera ad alteram* (ceteris codicibus inter se discrepantibus [16]). – 21,27 *non*, cum Φ.

Plerumque tamen lectiones $\Theta^{s}Q$ proprias antiquas sane, sed mendosas esse arbitrati sumus; inter quàs eae primum afferentur, quae consulto videntur introductae:

16,4 *aqua* (*lota*), omisso *in*. – 16,20 *generasti* (voce de muliere dicta)] *genuisti*. – 18,21 *quibus* (*operatus est*) et 18,27 *qua* (*operatus est*). – 20,22 (*averti manum meam et*) *non* (*feci*). – 20,28 + *ibi* (ut iam ter supra). – 20,41 *in quibus*. – 20,43 *in quibus*, cum 175 176. – 22,10 (*verecundiora patris discoperuerunt in te*) + *similis facinore cham*, adnotatione ex margine in textum recepta. – 23,41 *lecto*] *lectulo*, cum *HI*. – 24,5 *struices* + *lignorum*, cf. *Gn* 22,9. – 24,7 *illum* (de sanguine, cum *GR-M*)] *illud* (cf. formam *sanguen*, quae linguis romanis postulatur). – 24,21 (*filii vestri et filiae*) *quas*] *quos*, cum 176. – 26,2

---

[14] Cf. supra p. XXIV-XXVI.

[15] Cf. in primis fragmentum floriacense, nunc aurelianense, Bibl. Civ. 184 (Lowe, C.L.A. VI, n. 803), saec. VI-VII, in quo K. Gamber, *Leimabdrücke eines mailändischen Lektionars*, *Scriptorium* XV, 1961, 117-121, reliquias lectionarii cuiusdam mediolanensis in Theodulfi monasterium advecti existimavit invenisse.

[16] Cf. infra p. LXIV.

implebor deserta est] *implebo deserta eius.* – 26,17 *habitatoribus*] *amatoribus.* – 27,3 (*insulas*) *multas*] *maris.* – 27,32 (*in medio*) *maris*] *mari.* – 29,10 *solitudinem*, numero singulari.

Deinde versus enumerabuntur in quibus lectiones minutiores $\Theta^{s}Q$ propriae nobis in *Ez* 16-30 occurrerunt:

16,3. 15 (*meo* Θ^{s}, insulse; om. Q). 39. 49. – 17, 7. – 18, 9. – 19, 10. 12. – 20, 21. 26. 42. – 21, 13. 22. 26. – 22, 25. 29. – 23, 15. 17. 32. 40. 46. – 24, 4. 7. 25. – 26, 7 (bis). 9. 10. 17. – 27, 35. – 28, 24. – 29, 5. 9. 11. 17. 19. – 30, 6. His lectionibus propriis addendae sunt quattuor, quas Θ^{HG} $\Delta\Psi\Omega$ ex Θ^{s} retinuerunt: 16, 8. 21; 23, 29; 30,6. Quarum summa haec est: $18 + 37 + 4 = 59$.

Praeterea $\Theta^{s}Q(\Gamma^{A})$ septies decies eisdem in capitibus cum paucis aliis concrepant:

16,5, cum 176. – 17,3, cum 175. – 17,15, cum RY. – 20,5 *elevavi* (2°). – 21,24, cum *HI* et 176. – 21,27, cum ESU et *HI.* – 21,31, cum *HI.* – 22,10, cum ORY. – 22,30, cum *AU spe.* – 23,11. – 23,13. – 23,27. – 25,15, cum RY. – 26,3, cum RY. – 26,10, cum *HI.* – 28,13, cum RY, 175 et *GR-M.* – 29,1, cum ESU et *HI.* Nec mirum si $\Theta^{s}Q$ eas maxime lectiones cum aliis communicant, quae in 175-176 (cum adsunt) vel *HI* inveniuntur.

III. De codicis Π^{L} cum recensionibus italicis necessitudinibus

De recensionibus Bibliorum sacrorum casinensibus, cum earum testes recentioris sint aetatis et inter se arte conexi, pauca dici possunt quae sint satis certa. Iam vero si Π^{L} cum codicibus aliarum traditionum compararis, nullum invenies cum quo ita faciat quemadmodum A cum O vel Θ^{s} cum Q. Tamen codicem Π^{L}, utpote qui necessitudines cum A, Q, potissimumque cum O in libro Isaiae exhiberet[17], ad stirpem italicam pertinere iam probavimus.

Sed ante omnia proponenda sunt quae 16,3 in Π^{L} uno addita leguntur: *de terra chanaan* (*chanaan* cum $\Theta^{s}Q$) + *invenerunt sibi parentes non de quibus nascerentur sed quorum mores sectando pariter damnarentur.* Quae ex Tractatu 42 in Ioannem (10, 31-32) deprompta sunt, ubi Augustinus originem Iudaeorum diabolicam (*Io* 8, 44) ab Hiezechiele (16, 3) *pater tuus amorrhaeus et mater tua cethaea* confirmari arbitratus est; adscripta sunt in cuiusdam exemplaris casinensis margine, deinde in ipsum textum inserta.

Alibi (23, 4) addita sunt verba haec, ex Hieronymi expositione in Hiezechielem (lin. 803) vel ex libro interpretationis hebraicorum nominum (p. 132, 12) hausta: *tabernaculum meum in ea*; quod additamentum eodem habet loco codex quoque Γ^{A}. Quibus notulis in contextum insertis forsitan

---

[17] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. LIV-LVI.

studium declaretur quod monachi casinenses ad sacram scripturam explanandam impenderunt, quippe qui, si quid in dubium vocassent, de eo excussis Hieronymi et aliorum Patrum commentariis decernere niterentur. Sed verisimilius est additamentum in codicem Γ^{A} ex ea recensione italica notulis aucta effluxisse quam casinenses postea usurpaverunt.

Lectiones Π^{L} cum AO, deinde cum $\Theta^{S}Q$ communes huc collegimus, lectiones autem Π^{L} cum AO$\Theta^{S}Q$ communes infra (§ IV) afferentur.

1. De lectionibus Π^{L}AO

His locis Π^{L} cum AO concinit: 1,10 (*facies aquilae*) *ipsorum*] *desuper ipsorum*, cum $\Phi^{P}MQ^{2}\Omega$ et *GR-M*. Vox *desuper* vi parallelismi additur[18], cf. supra *a dextris* et *a sinistris*. Quod additamentum Gregorium a recensione AO sumpsisse, codices vero $\Theta^{S}Q$ respuisse conici potest. – 7,7 *contractio*] *confractio*, cum $\Theta^{AM}*\Delta^{M}*$; *conflatio* Δ^{L}. Codices iidem eamdem lectionem 7,10 habent, praeter Π^{L} (*contritio*, cum Φ et aliis). – 8,15 + *et*, cum 175 176, ad scelerum incrementum pressius exprimendum. – 10,2 (*prunis*) *ignis*] *igneis*, cum Y (deest R). – 13,15 (*non sunt qui*) *liniunt*] *liniant*, cum Θ^{AM}, *HI* (cod. *P*) et τ^{71}, forsitan recte. – 18,7 ~ *vestimenta operuerit*, cum $\Theta^{AM}\Omega^{SJ}*$; ordo vocum in recensione AO iterum atque iterum in v. 7-17 ita immutatur, ut verba extremis in membris sint collocata[19], Π^{L} vero hic tantum ordinem verborum convertit. – 24,10 + *in*, cum $\Theta^{AMG}\Omega^{S}$. – 24,24 *deus* om. A$\Theta^{A}\Pi^{L}\Omega^{S}$ cum 176. – 25,10 *filiis* (1°)] *filios*, cum $\Theta^{AMG}\Delta^{L}\Lambda^{L2}S^{2}$ et 175, conexione cum v. 9 praetermissa.

Addendae sunt duae lectiones AΠ^{L} et quattuor OΠ^{L}:

1,19 (*iuxta*) *ea* (= *animalia*)] *eam*[20] A*Π^{L}. – 24,23 *plangetis*] *plangebitis* AΠ^{L} cum Δ, confusis inter se coniugationibus[21]. – 1,1 (*visiones*) *dei*] *domini*[22] OΠ^{L} cum *GR-M*. – 1,7 *planta* (*pedis eorum*)] *plantae* O*Π^{L} cum $\Phi^{RG}T^{2}$. – 1,13 + *et* O$\Theta^{AM}*^{G}\Pi^{L}$ cum $\Phi^{P}\Psi^{P}\Omega^{MJ}M$ et *GR-M* (codd.). – 7,16 *in* (2°) om. OΠ^{L} cum $\Phi^{E}*$ et *HI* (cod. *P*).

2. De Lectionibus $\Pi^{L}\Theta^{S}Q$

Versus viginti quattuor huc afferre sufficiat, ut necessitudines demonstrentur, quae inter Π^{L} et $\Theta^{S}Q$ intercedunt; eos codices addemus

---

[18] Commentariorum *HI* vera lectio sine ulla dubitatione censenda est *ipsorum* (= cod. *PW*), contra editiones. Hoc verbo *ipsorum*, quod ad *facies*, non autem ad verba *a dextris* neque *a sinistris* est referendum, Hieronymus articulum reddidit.

[19] Cf. supra p. XXXII-XXXIII.

[20] Cf. supra p. XXXII, n. 9.

[21] Cf. F. Sommer, *Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre*, Heidelbergae ³1948, p. 507-509, 527; V. Väänänen, *Introduction au latin vulgaire*, Lutetiae Parisiorum 1963, § 314.

[22] Orta est emendatio ex 1, 3 et 2, 1.

qui, quamquam ad stirpem $\Theta^{s}Q$ non pertinent, lectionem $\Pi^{L}\Theta^{s}Q$ admiserunt:

4,17 cum T. – 5,12 cum X. – 5,15. – 6,3. 11. – 7,19. 20 cum Φ. 21. – 10,1. 22 cum X et 176. – 13,14. – 14,15. – 16,3 cum Σ^{T}, *HI* et 176. – 18,8 cum RY et *HI*. – 20,5 *elevavi* (1°) cum *M-A*. – 20,13 (sed non Θ^{s}). – 22,4 cum RY. 27 cum Φ. – 23,42 cum 𝔊. – 24,24. – 25,7 cum Cl et 175. – 26,2 cum Φl. – 30,8 cum Λ^{L}E. 22 cum Δ^{L}Y (deest R).

Mirae sunt *Ez* 20 emendationes: 8-9 (*et dixi ut effunderem indignationem meam...*) *et feci* (*propter nomen meum*)] *et non feci* Π^{L} cum $\mathfrak{G}^{B2}$; item v. 13-14 Π^{L} cum $\mathfrak{G}^{AL}$; item denique v. 21-22 $\Theta^{s}Q$ (non autem Π^{L}) cum $\mathfrak{G}^{A}$. Negationem ter habent codices byzantini 239 et 301 (saec. XI). Etsi aliquot testes graeci negationi suffragantur, verisimilius est tamen lectionem in versus 9, 14, 22 a recensore quodam latino esse introductam.

His lectionibus $\Pi^{L}\Theta^{s}Q$ eae septem addendae sunt quae in Gregorii Magni homiliis nobis occurrerunt [23].

IV. De lectionibus italicis AO-Θ^{s}Q-Π^{L}

Lectiones quas cum recensione $\Theta^{s}Q$ et codice Π^{L} recensio AO communicat, etsi paucae, magni tamen sunt momenti, cum, traditionibus Ak et Θ^{s}d longe ante annum 600 constitutis, ad corporis prophetarum hieronymiani propagationem antiquissimam illustrandam nonnihil conferant.

Sed antequam ad prophetiam ipsam veniamus, seriem capitulorum Ab oportet considerare, quam ex serie donatista Aa retractatam [24] codex Amiatinus quattuor libris prophetarum maiorum praefixit. Eamdem seriem retractatam exhibent *Is Ez Dn* in Q (deest *Ier*), Hiezechiel tantum in Θ^{s} (ubi nullis capitulis reliqui prophetae instructi sunt) et in Π^{L} (ubi libris *Is Ier* capitula Aa, libro autem *Dn* nulla sunt praeposita).

Series Aa in Africa ad corpus prophetarum secundum interpretationem veterem distribuendum elaborata, saec. V iam ineunte interpretationi hieronymianae adiuncta esse videtur. Quae series postea ad interpretationem novam sedulo ita accommodata est, ut, verbis hic illic ex vulgata interpretatione depromptis, prophetia aptius divideretur; quo illius studium declaratur qui ab exemplari quoque prophetico emendando non temperavit. Sequitur ut AΘ^{s}Q ex uno eodemque fonte manaverint, de quo Π^{L} nonnulla hauserit.

In Hieronymi prologo (l. 16), iidem codices simul peccaverunt: (*nemo eos compellat ut*) *scribant*] *scripta mea legant* AQ$\Pi^{L}\Psi^{p}$ (prologus in codicibus OΘ^{AM} secundum aliam traditionem legitur; deest in Θ^{s}, folio avulso).

---

[23] Cf. supra p. XXIV.

[24] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. 9.

Ut infra dicetur [25], Hieronymus verbo *scribant* Rufinum criminabatur, quod Apologiam Pamphili pro Origene divulgasset; qui subarchetypum italicum recensuit, propositum cum non intellexisset, vocem *scribant* arbitratus est esse corruptam.

Ez 7,4 (*non parcet oculus meus super te et non*) *miserebor*] *miserebitur* AO Θ^{A}*Θ^{s}QΠ^{L}, persona verbi ad *parcet* accommodata. – 16,57 + *in* AΘ^{s}Q cum T*. – 17,6 (*crevit... radices eius sub illa*) *erant*] *erunt* AO*Θ^{AM}*Q* cum S, fortasse secundum interpretationem messianicam. – 17,20 *expandam*] *extendam* AQ. – 20,31 (*ego respondebo... vivo ego...*) *quia* (*non respondebo*)] *quia ego* AO$\Theta^{HAMG}$$\Theta^{s}Q\Pi^{L}$ cum l, contra 𝔓. – 22,28 (*divinantes*) *ei* (*mendacium*)] *eis* A cum aliis; om. O$\Theta^{HAM*G}$$\Theta^{s}Q\Delta$RYMi cum *AU spe* et 𝔊, lectio facilior, cf. 13,6.9. – 24,14 *iudicavi*] *iudicabo* AO$\Theta^{H2AMG}$$\Theta^{s}Q\Gamma^{A}$$\Pi^{L}$$\Delta^{L}$M $\Psi^{D}\Omega^{MS}$ cum 176 177. – 24,18 (*locutus sum*) *ergo*] *ego* AΦ^{P}*m*; *ergo ego* Θ^{s}QΓ^{A}RYM. – 26,10 (*inundatio equorum... a sonitu*) *equitum* (*et rotarum et curruum*)] *equorum* AOΘ^{AM}*Θ^{s}QΓ^{A}RY cum 177 et 𝔊^{L}. – 28,16 (*perdidi te o cherub*) *protegens de medio lapidum*] *procedens de medio lapidum* AOΘ^{H*AMG2} Θ^{s}QΓ^{A}. Verba *o cherub protegens* in casu vocativo posita (cf. 28,14 *cherub extentus et protegens*), cum a verbis *perdidi te de medio* essent distinguenda, recensor ad subsequentia putavit esse referenda. – 31,1 (*undecimo anno*) *tertio*] *mense tertio* AOΘ^{AM}*Θ^{s}Q^{1}(in ras.)Δ^{L}; *tertio mense* $\Pi^{L}\Theta^{H*G}\Delta^{M}\Phi^{E}\Omega$. Mentione facta numeri, mentio quoque mensis exspectabatur. – 41,15 (*mensus est*) *longitudinem* (*aedificii*)] *latitudinem* AOΘ^{AM}*Θ^{s}QΠ^{L}RY, voce immutata ad verborum consecutionem instaurandam, cf. 13 *mensus est domus longitudinem* et 14 *latitudo autem*.

Quibus lectionibus eae adiungendae sunt, quae minutiores ad scribendi rationem potissimum pertinent, sed propinquitatem codicum ad eorum subarchetypum declarant. Huc colligere sufficiat nomina neutra quae, debilissima *-m* littera vitiose addita, in masculinum genus transisse videntur:

12,13 *retem meum* AQΠ^{L}RYCX et, altera manu, $\Delta^{L2M2}\Theta^{s2}T^{2}$, forsitan cum archetypo [26]; *retem meam* Θ^{s}*Δ^{L}*. – 21,10 *omnem lignum* AQ Π^{L}i*. – 47,18 *mare orientalem* AkO*Θ^{A}Y. – 44,29 *omnem votum* k*O*Π^{L}E. – 19,8 *retem suum* Θ^{s}Q*Δ^{M} (*retes suos* S). – 20,47 *omnem* (*omne* O) *lignum viridem* O*Θ^{s}Qi. – 21,7 *omnem cor* QΠ^{L}. – 29,21 *cornum* (nomin.[27]) Θ^{s}Q* XΔ^{M}. – 30,22 *brachium fortem* Θ^{s}QΠ^{L}YX. – Adde, praeter confusionem inter *in terra* et *in terram* aliasque multas similes: 45,15 *de gregem* A*k*. –

[25] Cf. infra p. LXVII.

[26] Cf. *Biblia Sacra XIV*, p. 385, nº 76 cum adn. 146; Charisius (ed. H. KEIL, *Grammatici latini* I, 61, 15) genus quoque masculinum comprobavit, non autem femininum, quod nonnullis dialectis romanis postulatur, cf. W. MEYER-LÜBKE, *Romanisches etymologisches Wörterbuch*, nº 7255, 2.

[27] Cf. *Biblia Sacra, XIV*, p. 385, nº 76 cum adn. 147.

1,12 *coram faciem suam* O*Π^{L}U* (cf. *ante faciem suam* T*). – 30,24 *coram faciem* Θ^{s}QE*. Quod extensioni casus accusativi possis tribuere [28].

Sicubi unus tantum codicum gemellorum scripturam id genus exhibet peculiarem, conici licet subarchetypi rationem scribendi ad grammaticorum regulas esse in altero exactam, ex. gr. 1,4 *ab aquilonem* Q*.

Quibus omnibus ponderatis [29], necessitudines artissimae quae inter A et kO(Θ^{AM}), inter Θ^{s} et dQ(Γ^{A}) intercedunt negari non possunt: etenim lectionibus plurimis concinunt, discrepant paucissimis. Necessitudines autem quae inter AO et Θ^{s}Q intercedunt multo sunt laxiores, si exceperis capitulorum seriem et Hieronymi prologum.

Recensio AO prophetiae Hiezechielis eiusdem est generis atque retractatio Ab capitulorum (cf. supra, p. XXXVII), quacum artiore coniungitur vinculo quam recensio Θ^{s}Q.

Hic memorentur lectiones AO insigniores quibus recensoris studium perspiciatur: 3,13 *alter ad alterum*; 3,15 *ad acervum*; 7,7 et 10 *confractio*; 18,7-17 transpositio verborum quinquies repetita; 20,28 *oblectationis*; 25,5 *porcorum*; 25,10 *filios*; 27,23 *teden*; 28,16 *procedens*; 30,4 *et reducam captivitatem aegypti*; 41,15 *latitudinem*.

Inter quas lectiones consulto introductas, Θ^{s}Q duas communicant, 28,16 et 41,15. Ambigi potest utrum hae varietates subarchetypo AkΘ^{s}Q sint revocandae, an a recensione Ak una cum capitulis Ab sumptae et in codices Θ^{s}Q introductae. Recensio enim Θ^{s}Q lectiones ex vetere interpretatione latina saepius quam recensio AO deprompsit [30], quibus errata plura miscuit [31] quam ut credatur illam ad eumdem subarchetypum eumque accurate emendatum esse revocandam. Huc accedit quod lectio conflata 24,18 *ergo*] *ego* A, *ergo ego* Θ^{s}QΓ^{A}RYM contaminationem redolet.

Qui codicem Π^{L} recensuit exemplaria complura in promptu habuit, inter quae recensionum Θ^{s}Q et AO nonnulla. Nam, ut exemplum afferamus, cum recensione AO emendationem *confractio* 7,7, non autem 7,10 (ubi *contritio* cum Φ praeoptavit), primamque tantum verborum transpositionem 18,7 accepit. Eius vero cum recensione Θ^{s}Q necessitudines indicibus supra instructis satis declarantur.

---

[28] Cf. J. B. Hofmann-A. Szantyr, *Lateinische Syntax und Stilistik*, p. 257, 259, 264; *TLL*, *ab*, *coram*, *de*; V. Väänänen, *Introduction au latin vulgaire*, §§ 245-247.

[29] Codices RY, etsi cum Θ^{s}Q saepius faciunt, non adeo arte cum AO et Π^{L} cohaerent, ut una cum eis tractentur; itaque de ea stirpe infra dicetur.

[30] Cf. indicem lectionum Θ^{s}Q cum aliis, p. XXXIV, et Θ^{s}Q Π^{L}, p. XXXVI-XXXVII.

[31] Cf. versus 37 pag. XXXV enumeratos.

V. De subarchetypo transalpino RY

Codices RY in indicibus supra allatis saepe saepius una cum $\Theta^{s}Q$ nobis occurrerunt [32]. Proprias tamen lectiones complures exhibent, quae non raro ex vetere interpretatione latina haustae sunt.

Lectiones RY cum vetere interpretatione, vel, ea deficiente, cum 𝔖 communes, hae sunt in *Ez* 1-30:

4,4 + *quinquaginta et centum.* – 4,5 *trecentos et nonaginta*] *quinquaginta et centum.* – 4,9 *trecentos et nonaginta*] *nonaginta et centum.* – 8,14 *adonidem*] *tammuz.* – 8,15 + *numquid modica sunt domui iuda ut facerent iniquitates quas fecerunt ipsi isti hic* (cf. vulgatam interpretationem 8,17). – 8,16 *viginti quinque*] *viginti.* – 16,13 *similam*] *semidalin*, cum A. – 17,3 *grandis*] *magna* 175; praem. *magna* RY. – 17,23 *illum.* – 18,2 *vertistis*, cum Δ^{L}. – 18,24 *iniquitates.*

Aliae quoque lectiones minutiores sunt cum 176 vel 𝔖 communes:

1,13 + *et.* – 3,9 + *et.* – 5,11 + *tui.* – 15,2 *fiet*] *erit.* – 24,1 + *die.* – 24,11 om. *eius* (2°).

Praeterea, has lectiones habent RY iisdem in capitibus proprias:

1, 1. 2. 21 cum S. – 3, 10 cum *HI.* 14. 24. – 4, 2 cum S. – 5, 11. – 11, 7. – 12, 4/5. 6. 12. 16 cum A. – 13, 21. – 14, 20. 21. 22. – 16, 63. – 17, 1. 6. – 18. 10. 19. 29 (cf. 176). 31. – 20, 6. 12. 13 (bis). 31. 32. 43. – 21, 5. 9. 11. 32 (bis). – 22, 3 (bis). 4. 6. 10. 20. 31.– 23, 8 (bis). 10. 17. 23. 27. 41. 43. 47. – 24, 21. 26. – 26, 8. 10. – 27, 36.

Traditionem RY in eamdem regionem esse diffusam in qua codex u saec. VIII inc. exaratus est necessitudinibus demonstrabitur quae inter RY et u intercedunt (p. XLIX-L).

VI. De subarchetypo transalpino ETSU

Etsi non est infitiandum codicem epternacensem E, augustodunensem U, sangallensem S, turonensem T, cum altero turonensi [33] Φ^{B}, ex una eademque recensione, saec., ut vid., VII in Austrasia divulgata, defluxisse [34], tamen non tam arte inter se cohaerent quam codices AO, $\Theta^{s}Q$, RY. Haec enim Austrasiae recensio, quae ex codicis U ratione scribendi horrida et inculta fuisse videtur, in scriptorio sangallensi et turonensi ita sedulo retractata est, ut lectiones subarchetypi saepissime occultarentur.

[32] Cf. indices supra (in adn. 30) indicatos, ac (p. XXXVIII-XXXIX) lectiones RY nonnullas cum $AO\Theta^{s}Q$ communes.

[33] De hoc codice, ab eodem exemplari descripto quo T, cf. supra p. XV.

[34] De lectionibus ETSU in Isaia communibus, cf. *Biblia Sacra XIII*, p. LVII-LVIII.

Haud inopportunum notare videtur quomodo saeculo VIII exeunte sint a viris doctis excussa, examinata, purgata, quae a librariis rudioribus aetatis superioris essent tradita.

In *Ez* 16-30 codices ETSU aut omnes aut terni aut bini lectiones 170 aut soli aut paucis cum codicibus exhibent; inter quas 18 ETSU, 48 ETU, 30 ESU, 2 TSU, 4 ETS, 38 EU, 10 ES, 6 ET, 9 SU, 4 TU, 1 TS communicant. Ex quo patet recensores codicum S et T subarchetypum 96^{es} et 87^{es} emendasse[35]; codices vero U et E, cum ex his 170 lectionibus lectiones 149 vel 154 praebeant, vix retractati videntur. Dubitari enim licet quae in EU non leguntur fuerintne in subarchetypo: dittographiam 23,35 *porta scelus*] *portas scelus* TS casu committere potuerunt; item verisimiliter[36] TU 21,27; 25,3. Lectiones vero TSU omnes ac quattuor ex lectionibus novem SU ad exemplar codicis E, ut infra notabitur, et ad stirpis subarchetypum sunt revocandae.

Has subarchetypi lectiones peculiares manus posterior in codicibus ETS saepissime correxit.

Lectiones ETSU communes hae sunt:

17, 20. – 18, 17. 24. – 20, 42. – 21, 5. 31. – 23, 6. 42. – 24, 10. – 25, 3. 7. – 26, 5. 14. – 29,7. 19 (bis). – 30,16. 26.

Lectiones ETU:

16, 5. 19. 49. – 17,17 (bis). – 18,6 cum *M-Bo*, libro liturgico eiusdem provinciae. 8. 9 cum *M-Bo*. 24. – 19,10. 12. – 20,7. 9. 13. 42. 48. – 21,3. 10. 20. – 22,26. 29 (bis). – 23,7. 46. – 24, 6. 17. 20. 22. 25. – 25,4. – 26, 5. 7. 10 (bis). 20. – 27,7. 32. – 29,5. 10. 14 (bis). 18. 19. – 30,3. 4. 5. 6. 11.

Lectiones ESU:

16, 6. 13. 14. 23. 40. – 18,16. – 20, 47. – 21. 12. – 22, 4. 30 (bis). – 23,17. – 24,4. 7. 16. 17. 22. – 25,4. 6. – 26,19. – 27,27 (bis). 34. – 28,2. 7. 16. 18. – 30,23. 24. 26.

Lectiones TSU:

16,5 cum E^2. – 20,15 (cf. $\sim$ E). In utroque versu, exemplar unde E exscriptus est lectionem archetypi habuisse videtur.

Lectiones ETS:

16,12 (exemplar codicis T emendatum erat, sed imperfecte). – 23, 42. 47. – 24,27.

Lectiones EU:

16,19. 31. 33. 40. – 17, 20. – 18. 8. 17. 21. – 20, 28. 29. 36. 40. – 21,

[35] De recensione T et Φ^B, cf. infra p. XLIII-XLVI.

[36] Ambas lectiones minutiores, cum eas Φ^B non exhibeat, in codicem T separatim introductas esse censendum est.

7. 27. – 22, 3. 16. – 23, 12. 21. 27. 39. – 24, 8. 27. – 25, 4. – 26, 4. – 27, 3. 4. 10. 11. – 28, 4. 13. 19. 21. 22. 23. – 29. 9. 18 (bis). – 30, 15.

Lectiones ES:

20, 13. 38. 39. – 23, 18. 45. – 24, 25. – 25, 4. – 26, 17. – 29, 10. – 30, 6.

Lectiones ET:

18, 23. – 21, 19. – 22, 9. – 23, 37. – 24, 25. – 30, 19.

Lectiones SU:

16, 55. – 21, 13 (fortasse etiam E*). – 22, 3. – 23, 11 (cf. E). – 24, 11 (fortasse etiam E*). 21. – 26, 17. – 27, 31. – 29, 12 (om. Em).

Lectiones TU:

20, 9. – 21, 3. 27. – 25, 3.

Lectio unica TS levissima:

23, 55.

Ex quibus 170 lectionibus complures minutissimae ad scribendi rationem subarchetypi sunt revocandae, velut 17,20 *conprehendetur*] *conprehenditur*. – 20,42 *in terram*] *in terra*. – 21,3 *gladium meum*] *gladio meo*. – 29,19 *accipiet*] *accipient*. Sicubi inveniuntur lectiones graviores, dubitandum sintne ad ullum recensionis studium referendae, velut 16,40 *trucidabut*] *cruciabunt*. – 18,24 *recordabuntur*] *reputabuntur*. – 14,10 *congere*] *congrega*. – 25,3 *domum*] *humum*. – 25,4 *conlocabunt*] *conculcabunt*. – 29,5 *uolatilibus*] *uolucribus*. – *comminutas*] *comminatas*. – 30,5 *lydii*] *lybi*. – 30,26 *dispergam*] *disperdam*. Nonnullae tamen lectiones, quae recensionem sapiunt, commentariis Hieronymi[37] innixae videntur: 23,42 (*in manibus*) *earum*... (*in capitibus*) *earum*] *brachiorum suorum*... *suis*. – 31,9-12 *eum* (quinquies)... *illum*] *eam*... *illam*. – 38,16 *eum*] *illud*. – 39,19 *immolabo*] *immolavi*.

VII. De recensionibus turonensibus

Lectionibus subarchetypi transalpini et codicum ETSU ex eo manantium perpensis, liquet codicem T turonensem, anno circiter 780 exaratum, huius subarchetypi menda complura (87/170 in cap. 16-30) iam correxisse. Emendationes alias easque plurimas recensor quidam eruditus (T^2) postea introduxit, quibus editio alcuiniana quodam modo praefiguraretur ac praepararetur. Quae recensio T^2 utrum sit post annum 796 de mandato Alcuini effecta, an ignoto cuidam monacho turonensi superioris aetatis tribuenda, definire non audemus.

---

[37] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. LVII; *XIV*, p. XLIII-XLIV.

1. De exemplari deperdito T**

Cum a Bonifatio Fischer accepissemus codicem Φ^{B} bambergensem, etsi anno circiter 840 exscriptum, in prophetia Hiezechielis a reliquis alcuinianis mire dissidere, lectiones eius varias collegimus omnes, comperimusque eum non solum cum T, verum etiam semper fere cum T* artissime esse conexum; codicem ergo Φ^{B}, in eodem Maiore Monasterio quo T confectum, ex apparatu exclusimus, quasi esset ex T exscriptum.

Sed, lectionibus ETSU subtilius perpensis, patet codices T et Φ^{B} ex uno eodemque exemplari deperdito, quod siglo T** signare liceat, ita defluxisse, ut lectionibus Φ^{B} recte ponderatis, traditionem turonensem qualis fuerit ante T confectum perspicere possimus. Exemplari T** eae lectiones tribuendae sunt, quas sive T cum Φ^{B}, sive codex T vel Φ^{B} cum uno aliove codicum ESU communicant. Ceterum in ipso T** corrector quidam lectiones varias in margines sine dubio iam congesserat, quibus traditio ESU gradatim emendaretur; amanuenses enim qui T et Φ^{B} transcripserunt, nonnullas lectiones acceperunt exemplaris T** manu altera correcti.

Accidit enim ut, T* a traditione ETSU(Φ^{B}) desciscente, T^{2} ad eam rediret:

4,2 *aggerem*] *aggyrem* T^{2}, cf. *aggirem* U* – 5,16 *vobis*] *a vobis* $T^{2}U$ – 10,4 *cherub*] *cherubi(m)* $T^{2}SU$ – 10,9 *cherub*] *cherubi(m)* $T^{2}S^{*}$ – 10,22 *vultuum*] *vultum* (gen. pl.) $T^{2}S\Phi^{B*}$ – 11,21 *ambulat*] *ambulabat* $T^{2}SU\Phi^{B}$ – 13,14 *sum* om. $T^{2}SU$ – 14,13 *iumentum*] *iumenta* $T^{2}ESU$ – 16,41 *domos*] *domus* (acc. pl.) $T^{2}ES^{*}U$. Notae *vide* tironianae, de quibus infra dicemus, leguntur 10,22; 11,21; 13,14; 14,13. Correctiones T^{2} 10,4.9 et 14,13 acceperunt codices Φ omnes, item Φ^{G} 11,21; Φ^{E*R} 16,41; $\Phi^{P*}M\Psi^{D}$ 10,22. Lectiones autem T^{2} 10,4. 9 – 13, 14 – 14, 13 – 16, 41 alii codices communicant.

Praeter ea quae in cap. 1-20 collegimus, notanda sunt in cap. 32 additamenta duo, quibus alio aliis in codicibus insertis, necessitudines mire declarantur, quae inter T-Φ^{B}-Φ^{ERG} intercesserunt. Verba addita haec sunt: (α) *propter universas iniquitates quas operatus es* (cf. 18, 21. 24. – 33, 13. – et praesertim 33,16); (β) *cum ceciderint vulnerati tui in medio terrae ait dominus* (cf. 30,4 et 20,8). T addit α 32,3, post *dicit dominus deus*. Φ^{B} addit α 32,8, post *dicit dominus deus*; ibidem $\Phi^{ERGP}\Psi^{D}\Omega^{MSJ^{2}}$ addunt β. T addit β 32,10, post *formidabunt super te*; item Φ^{B}; ibidem $\Phi^{ERGP}\Psi^{D}\Omega$ addunt α. Constat haec verba, de quorum origine, etsi interpretationem vulgatam certe sapiunt, decernere mittimus, ad exemplaris T** margines ita fuisse apposita, ut librarii qui ex eo apographa descripserunt de versu dubitaverint, in quem essent inserenda. T cum Φ^{B} (32,10), Φ^{B} cum Φ^{ERG} (32,8) concinentibus, verisimillimum est β ad 32,10, α ad 32,8 fuisse in T** referenda,

T autem propter verba *dicit dominus deus*, quae 33,3 quoque leguntur, esse in errorem inductum. Patet recensorem alcuinianum codici T diffisum non satis habuisse si eum ad traditionum aliarum fidem emendaret, sed eum cum exemplari T** contulisse.

2. De recensionis gradibus

Quae cum ita sint, gradus ut ita dicamus plures discernere possumus, quibus recensio alcuiniana processit: codicum ETSU subarchetypum, exemplar T** (priorem manum et alteram), T, T^2, Φ^{ERG}. Codices autem alcuiniani Φ^{ERG} tam arte inter se cohaerent, ut eorum necessitudines vix ordinari atque stemmate repraesentari possint [38]. Codex denique Φ^{P}, quippe qui in regione remensi, non turonensi, anno circiter 870 sit perfectus, atque cum theodulfianis saepius concinat, in alcuinianis genuinis iam non est adnumerandus.

3. De recensione T

Lectiones quibus T ab archetypo codicum ETSU transalpino discedit, supra enumeravimus [39] (vide huius familiae lectiones quas T non communicat, lectiones nempe ESU, ES, EU, SU); quae plerumque, cum in Φ^{B} quoque inveniantur, ad exemplar T** vel ad eius correctorem sunt referendae.

Accidit tamen ut, Φ^{B} et ESU inter se consentientibus, T ab illis et ab exemplari T** discederet:

ESUΦ^{B}: 16, 13. 40. – 18, 16. – 22, 30. – 24, 16. – 27, 27 (bis). 34. – 30, 26.
EUΦ^{B}: 30, 15.
SUΦ^{B}: 24, 11.

Notanda sunt etiam haec duo orthographica codicis Φ^{B}, quae rationem scribendi familiae ETSU redolentia ex T** manasse videntur: 16,15 *fieres*] *fieris* Φ^{B}*U*. – 16,46 *soror*] *sor* Φ^{B}, cf. U alibi [40].

4. De recensione T^2

Lectiones quas corrector T^2 ut recensionem T longius proveheret introduxit [41], quippe quae maxima cum cura sint selectae, studium sapiunt quo Caroli Magni temporibus Turonenses claruerunt. Etenim vir

[38] Ex codicibus turonensibus inde ab anno 796 ad annum 850 conscriptis triginta circiter supersunt qui Evangelia continent; quorum omnium lectionibus diligenter excussis, Bonifatius Fischer monuit fore ut indagationes de codicum alcuinianorum propagine frustra suscipiantur: *Das Neue Testament in lateinischer Sprache*, in K. Aland, *Die alten Übersetzungen des Neuen Testaments*, Berolini 1972, 17-20.

[39] Cf. p. XLI-XLII.

[40] Cf. *Biblia Sacra XIV*, p. 382, nº 71, adn. 134, cod. U.

[41] Cf. *Biblia Sacra XIV*, p. XLIII.

ille eruditus hic illic notis tironianis [42], quibus *vide* significaretur (ff. 146v-157v), aut lineola proclivi (ff. 138v-140v), locos vel sibi ipsi vel amanuensi emendandos in marginibus indicavit [43]. Quae signa in hoc lectionum elencho notis (*V*) et (/) indicabimus.

Lectiones vero T* reiectae non unius eiusdemque sunt generis. Aliae enim codicis T unius erant propriae (*1°*); aliae cum paucis, sive casu, sive quadam cognatione (maxime cum $\Theta^{s}Q$) communes (*2°*); aliae familiae ETSU peculiares (*3°*); aliae et ETSU et multorum aliorum communes (*4°*); aliae denique totius traditionis, nullo codice emendationem T^{2} communicante, nisi alcuiniani qui eam a T^{2} receperunt (*5°*).

Hae sunt in cap. 1-20 lectiones T^{2} omnes. Quae sunt in traditione alcuiniana receptae [44], nisi expresse ($\neq \Phi$) notetur:

1°. T^{2} lectiones proprias correxit, quibus T* a codice Φ^{B} et ceteris omnibus discesserat: *Prol.* 17 *uva amara*. – *Ez* 1, 12. 16 (/) ($\neq \Phi$). – 2,3 *mihi* (/). 3 *hanc*. 4 (/). 7. – 3,3. 4 (/). 11 (/). 26. – 4, 3. 10. – 5, 8. 11. 12. 13. – 7, 23. – 10, 16. – 11, 6. 9. 23 (*V*). – 12, 2 (*V*). 15. 22 (*V*). – 14, 16. – 16, 6. 8 (*V*). 19. 34. 42. – 17, 18. – 18, 6. 9. 16. – 20, 11. 20. 41.

2°. T^{2} lectiones correxit, quibus T* a subarchetypo discedens cum perpaucis codicibus concordabat, sive casu: 16, 14 (*V*) cum Δ^{L}; sive necessitudine quadam, cum $\Theta^{s}Q$: 3, 26 ($= \Phi^{B}$). – 4, 16. – 5, 2. – 8, 7. – 8, 18 (*V*) cum RY. – 16, 57 (*V*) cum A.

3°. T^{2} lectiones familiae ETSU, quas alii pauci codices interdum communicant, reiecit: *Prol.* 17 *ut vocentur*; ΦΑSΟΔΟΙΡΟΙ. – *Ez* 1, 13 (/). 27 (/). – 2, 2. – 3, 3 (/). 27. – 4, 3. 15 *bobuum* T*, *bouum* SU, *boum* ceteri. – 5, 2. 13. – 6, 7. 13. – 7, 11. 13. 15. 16. – 8, 11 (*V*). – 9, 2. 7 (*V*). – 10, 3 (*V*). – 11, 1 (*V*). 5. 21. 24. – 12, 7 (ter). 13 ($\neq \Phi$). – 14, 10. 13 (*V*). 17 (*V*). – 16, 5 (*V*). 12 (*V*) (quae in E*S* omissa, praepostere sunt in T* inserta). 13 (*V*). 19 (*V*). 36. 41. 46. 49. – 17, 17. 20. – 18, 24. – 20, 9. 16 (bis). 18.

4°. T^{2} lectiones familiae ETSU, quas alii multi communicant, ita reiecit, ut paucis codicibus recensioni T^{2} suffragantibus, iam quodam modo appareat a qua traditione recensor eas hauserit: *Prol.* 3 *ad* om.

---

[42] Cf. *Biblia Sacra XIV*, p. XXXI-XXXIX.

[43] Accidit ut signo (/) in margine apposito nulla effecta sit emendatio: 1, 10 (ubi emendator, omnibus perpensis, lectionem $AO\Pi^{L}$ *desuper* recipere noluit); 1, 23. 26 (bis). Item, signo (*V*) adiuncto, 11, 22; 14, 20. Patet recensoris dubitationem potius quam decisionem esse his signis expressam.

[44] Sicubi codices Φ correctionem T^{2} non exhibent, conici potest emendationem T^{2} correctori aetatis serioris esse tribuendam.

cum XΔ. – 12 *transtulerit*] *transtulerunt* cum UA*Π^{L}. – 17 + *hoc est manducantes senecias* cum AY (codice O hoc in prologo a traditione italica discedente, R autem deficiente; additamento T^{2} partim notis tironianis scripto). – *Ez* 1,7 *planta*] *plantae* cum OΠ^{L}. – 1,10 *a*] *ad* cum X (≠ Φ). – 1,12 + *eorum* cum Θ^{s}QΠ^{L} et *GR-M.* – 1,25 *supra*] *super* (/) cum XΣ^{T} et *GR-M.* – 3,7 *nolent*] *nolunt* (/) cum AOΘ^{AM}Θ^{s}QRY. – 3,13 *alteram*] *altera* (/) cum Θ^{s}Q (≠ Φ). – 5,12 ~ cum RYX. – 6,13 + *et* XΔ^{L}Π^{L} OΘQ. – 7,2 + *venit* cum CΣ^{T}. – 8,3 *adduxit me*] *adduxit* (*V*) cum S*AOΘ^{s} QRYCΣ^{T}Λ^{L}. – 8,11 *turabulum*] *turibulum* cum OΠ^{L}Θ^{s}QRCΣ^{T}Δ. – 10,7 *egressus*] *ingressus* (*V*) cum Φ^{B}Q. – 10,11 *declinabat*] *declinabant* cum SXΔ. – 10,15 *flumen*] *fluvium* (*V*) cum Φ^{B}OΔ^{L}. – 10,19 + *et* cum Y. – 11,9 *manu*] *manus* cum SRYΠ^{L}. – 12,6 *portaberis*] *portaveris* cum OQΠ^{L}Θ^{HG}CΣ^{T}Δ^{L} (≠ Φ). – 12,11 *ego*] *ergo* cum SO*CΣ^{T}Δ^{M}. – 12,13 *rete*] *retem* cum AΘ^{s}Q RYΠ^{L}CXΔ^{L}(≠ Φ). – 13,10 *illi*] *ipsi* cum A. – 13,15 *parietem*] *pariete* cum OΘ^{HAMG}Π^{L}XΛ^{L}. – 13,17 *filias*] *filios* cum QΔ^{L}. – 14,7 *homo homo*] *homo* (*V*) cum Π^{L}. – 16,47 *pauxillum*] *pusillum* cum Θ^{sH}QXΔ^{M}. – 16,61 *te*] *et* cum X. – 17,8 *et*] *ut* cum RYΠ^{L}. – 17,17 *proelium*] *bellum* cum OΘ^{AMG}. – 17,20 *illum*] *eum* cum AOΘQRYΔ. – 20,23 *solitudine*] *solitudinem* cum Δi (≠ Φ). Liquet codices nonnullos aut fortuito aut vi locorum similium aut qualibet de causa eamdem lectionem atque T^{2} exhibere posse. Lectiones tamen *Prol.* 17 et *Ez* 17,17 maioris certe sunt momenti quam ut negetur eas recensorem T^{2} ex eadem traditione atque AORY et OΘ^{AM}(= k) sumpsisse. Lectionibus plurimis, etsi levioribus, T^{2} cum Θ^{s}Q concinit.

5°. T^{2} lectiones exhibet quae nullis in codicibus inveniuntur, nisi in eis qui eas a T^{2} acceperunt[45]: *Prol.* 11 *causae*] *causa* (≠ Φ). – 15 *dicite*] *dicitis*. – 1,12 (*ubi erat*) *impetus* (*spiritus*)] om. cum *HI Ez h.* – 3,21 *tu* (2°) om. cum *AU spe.* – 4,7 *convertes*] *convertas* (≠ Φ). – 6,10 *quia*] *quoniam*. – 8,3 + *et* (≠ Φ). – 8,3 *statutum*] *statum* (*V*) (≠ Φ). – 10,2 *subtus*] *sub* (*V*). – 12,7 + *et* (≠ Φ). – 13,5 *ascendistis*] *ascendentis* (*V*) (≠ Φ). – 14,11 *deum*] *domino* (*V*) (≠ Φ). – 14,23 + *super* (cf. v. 22). – 16,19 *et similam*] *similia*. – 16,27 *extendi*] *extendo*. – 16,27 *ius tuum*] *iustificationem tuam* cum *HI*. – 16,28 *assyriorum*] *aegyptiorum* (*V*) (cf. v. 26). – 16,28 *satiata*] *sedata* (*V*). – 16,31 *fastidio*] *fastidiosa* cum Π^{L}. – 20,23 *terras*] *terram* (≠ Φ). Notentur, praeter omissionem vocis *impetus* (1,12), emendationes in cap. 16, 27-31 frequentes, ad quas introducendas notae *vide* tironianae adscriptae sunt.

5. De recensione Φ

Correctiones T^{2} in editionem Φ omnes fere influxerunt; recensor autem alcuinianus vestigia traditionis ETSU ita delevit, ut omnis necessitudo

[45] Lectionem T* proferemus, deinde T^{2}. Eos codices indicare praetermisimus quorum lectiones ex T^{2} emanant.

inter Φ et subarchetypum transalpinum occultaretur, nisi in codice Maioris Monasterii recensionis gradus T**, T*, T^2 internoscere possemus.

In *Ez* 1-20 editor Φ menda subarchetypi ETSU 62, quae correctorem T^2 effugerant [46], reiecit [47]: *Prol.* 16 *eos.* – *Ez* 2, 1. – 3, 10. 19. – 4, 1. 10. 11. 14. – 5, 7. 15. – 6, 13. – 7, 3. 9. 20. – 8, 6. 12. – 10, 7. 11. – 11, 2. 13. – 12, 7. – 13, 6. 10. 11. 12. 15. 23. – 14, 8 (bis). 17. 18. – 16, 34. 38. – 17, 4 (bis). 9. 17. 20. 23. – 18, 6. 8. 9. 17. 23. 24. 26. 27. 30. – 19, 4. 9 (bis). 10. 11. 12. – 20, 7. 9. 13. 23. 29. 42 (bis). 48.

Praeterea recensio Φ menda T propria 6 reiecit, quae T^2 corrigere omiserat: 8, 13. – 9, 4. – 16, 5. – 17, 23. – 19, 11. – 20, 14. Item 1, 20 lectionem T cum $C\Sigma^{T}\Delta^{L}\Pi^{L}$; 4, 17 lectionem T cum $\Theta^{s}Q\Pi^{L}$.

Accidit contra ut recensor Φ lectiones nonnullas T^2 non acciperet, ut iam supra diximus [48].

Recensor alcuinianus non solum menda subarchetypi transalpini corrigere studuit, sed lectiones alias a diversis traditionibus deprompsit alias vero introduxit, quas unus alterve codex interdum communicat.

Lectiones quinque: 5, 14 *gentibus.* – 14, 13. – 18, 19. – 19, 12. – 20, 31, a traditione $O\Theta^{AM}$ (= k) depromptae videntur. Lectiones septem, quae omnes minoris sunt momenti: 10, 16. – 13, 20. – 14, 6. – 16, 53. – 20, 23. 28. 33, codices EU RY Q aut alii communicant.

Hae sunt lectiones Φ omnino propriae: 5, 14. – 7, 20. – 18, 15. 24. – 20, 21. 28. Quibus lectionibus propriis, cum in cap. 1-20 sint paucissimae, eas adiungere liceat quae in cap. 21-35 plures nobis occurrerunt: 21, 11 cum *HI.* – 21, 27 *fiet* cum *HI.* – 21, 31. – 22, 12. 23. – 23, 4. 7. – 24, 6 *sors*] *ros.* – 24, 8. 25. – 26, 15. 16 (cum $X\Delta^{L}$). 20. – 27, 11 *erunt*; + *tuo.* – 27, 27. – 28, 12. 17. – 29, 7. 12 (cum Δ). 15. 16. 20. – 30, 21. – 31, 14. 16. 18. – 32, 1. 8. 10. 23. – 33, 29. – 34, 4. 10. 20. 27. – 35, 13. Addendae sunt lectiones orthographicae quibus recensor Φ rationem scribendi ad ea grammaticorum praecepta direxit, quae recensores T et T^2 observare iam contenderant [49].

VIII. De codicibus mutilis

De reliquiis k et d, de eorum apographis O et Q, de stirpibus ad quas pertinent supra diximus (p. xxx-xxxv).

---

[46] Vide 2, v. 1 et 2 *supra* (*pedes meos*) bis; *super* T bis cum S; *supra* T^2 altero tantum versu; *supra* Φ bis, quasi alcuiniani perfecerint quod corrector T^2 in animo certe habuerat.

[47] Vide 7, v. 7 et 10 *contractio* bis; *contritio* bis TU; *contractio... contritio* Φ, ita ut vestigium traditionis T non sit in recensione alcuiniana omnino deletum.

[48] Cf. supra p. xliii: 4, 2 – 5, 16 – 10, 22 – 13, 14 – 32, 3. 10; p. xlv, *1°*: 1, 16; ibid. *3°*: 12, 13; p. xlvi, *4°*: 1, 10 – 3, 13 – 12, 6. 13 – 20, 23; ibid. *5°*: *Prol.* 11 – 4, 7 – 8, 3 (bis) – 12, 7 – 13, 5 – 14, 11 – 20, 23.

[49] Orthographica omnia invenies in appendice vol. *XIII*, p. 247-277, selecta vero in vol. *XIV*, p. 373-389, et in hoc vol. *XV*, p. 288-297.

1. De reliquiis sangallensibus f

Codex f rescriptus, cum sit purissimus, lectiones varias habet fere nullas. Archetypo mendoso ter suffragatur 41, 1. 3. – 44, 30. Praeterea hos errores levissimos cum nonnullis codicibus communicat: 40, 25 *longitudine et latitudine*] *longitudinem et latitudinem* XΔΛ^{L}Φ^{E*RP}Θ^{SH}E*TSU cum *GR-M*; *longitudinem et latitudine* fRY, qui oscitantes accusativum posuerunt, ablativum autem recte retinuerunt. – 40, 42 *ponant*] *ponunt* fΘ^{S}QΔ^{L} cum *GR-M*, quae lectio est facilior. – 41, 1 *latitudinem*] *latitudine* fΘ^{S}Q.– 41, 6 *adtingerent*] *adtingeret* f*RY. – 45, 4 *ministris* (*sanctuarii*)] *ministri* fΠ^{L} QΔ^{L}Φ^{E*}S*; in codice f uno consecutio vocum, pronomine *qui* omisso, restituta est. – 45,8 *ei*] *eis* fAkOΘ^{AM*G}Π^{L}Θ^{S}Γ^{A}RY. – 46,16 *ea*] *eam* fOΠ^{L} Θ^{SHM2}QΓ^{A}Φ^{EP}RYETS^{2}U. – 46,22 *angulos*] *angulis* fQΓ^{A}RYXΛ^{L}Φ^{ER2GP2}. Ex quibus octo lectionibus codex f sex cum Θ^{S}Q(Γ^{A}Π^{L}), quinque cum RY praebet. Nota quoque 40,24 *duxit*] f*; *eduxit* f^{2}AOΘ^{AMG}.

Saepissime autem f aliarum familiarum menda non communicat:

dissentit a Θ^{S}QΓ^{A}RY et *GR-M*: 40, 42;

dissentit a Θ^{S}Q: 40, 42. 45. 48 (cum Γ^{A}RY). 49 (cum Π^{L}RY). 49 (cum Γ^{A}). 49 (cum Π^{L}Γ^{A}). – 41, 2. 3 (cum Γ^{A}). 17 (cum Γ^{A}). 19. 20 (cum ARY). 25 (cum XΣ^{T}Δ). 25. – 42, 13 (cum Γ^{A}AOΘ^{HAM}RYΦ). 15. – 43, 3. 5 (cum CΣ^{T}). 5. 6. 7. 8 (cum Γ^{A}Δ). 8 (cum ARY). 13. 13 (cum Π^{L}). 15. – 44, 11 (cum Γ^{A}Δ^{L}). 14 (cum Θ^{HAMG}Φ^{P}Γ^{A}*). 16. 19 (cum Θ^{H}Δ). 20 (cum Γ^{A}). 22. 25 (cum XΣ^{T}). 27 (cum Γ^{A}ΦX). 28 (cum Γ^{A}). 29 (cum X). 30 (cum Γ^{A}Σ^{T}). – 45, 11 (cum Π^{L}ETSU). 14 (cum ETS UΘ^{H}Δ). – 46, 4 (cum Π^{L}ΦETUΘ^{H}*). 5. 9 (cum Δ^{L}). 20. – 47, 3 (cum Γ^{A}). 6 (cum Γ^{A}Θ^{H2AMG}). 13 (cum ESUXΣ^{T}Δ). – 48, 22 (cum AO);

dissentit a RY: 40, 21. 23 (cum ETSUΦ). 40 (cum k). 43. 45. 46. 47 bis. – 42, 20. – 43, 4. – 44, 10. 22. – 45, 4 (cum Π^{L}). 5 (cum Γ^{A}Π^{L} Σ^{T}). 11. – 46, 9 (cum EU);

dissentit ab A vel k: 40, 42. 43. 46. – 42, 13. 17. – 43, 7. 16. – 44, 10. – 47, 12;

dissentit a Φ: 40, 21. 45. – 41, 22. – 42, 1. – 44, 10. 23. 30. – 48, 19. 21;

dissentit denique ab ETSU, a Π^{L}, a X, a Σ^{T}.

2. De reliquiis legionensibus l

Codex l rescriptus, praeter lectiones quas exhibet proprias, lectiones 45, ex quibus 22 graviores, 23 minutiores, cum multis codicibus communicat. Ex illis 22 gravioribus, 11 habet cum Θ^{S}Q, 9 cum Π^{L}, 9 cum X, 7 cum Σ^{T}, 7 cum Δ^{L}, 2 cum C.

Varietates maiores his locis invenies: 20, 31. 34. 37. – 21, 31. – 22, 2. 4. – 23, 2. 10. 17. – 24, 1. 4. 14. – 26, 2. 13 bis. 20. – 48, 13 bis. 22 bis. 29 bis. Minutiores vero: 20, 31. – 21, 6. 7. 10. 14. – 22, 3. 4. – 23, 17. 37. – 24, 2. 3. 4. 18. – 25, 6. – 26, 7. – 27, 3. – 48, 10. 16 bis. 30 bis. 35 bis.

Huc afferentur lectiones insigniores: 20, 31 + *ego* cum Π^{L}AOΘQ. – 20,37 (*vinculis*) *foederis*] *ferreis* cum CX$\Sigma^{T}\Delta^{M2}$, cf. Psalt. moz. – 21,31 *sufflabo te* (om. *in*) cum X$\Delta^{L}\Pi^{L}\Phi^{P}\Theta^{S}$Q^{0}. – 22,4 + *tibi* cum X. – 23, 17 *mammarum*] *ambarum* cum X$T^{2}\Psi^{D}$. – 26,2 *est* (2°)] *eius* cum $\Pi^{L}\Phi$ Θ^{S}QΓ^{A}. – 26,20 *porro* + *cum* cum $\Sigma^{T}\Delta\Pi^{L}$OΘUQΓ^{A}d. – 48,29 *tribubus*] *tribus* cum CX$\Sigma^{T}\Delta\Theta^{S}$*Q*ES*U. – 48,29 *partitiones*] *partiones* cum X$\Delta\Theta^{S}$ QESU.

Nihil mirum si codex legionensis cum hispanis — codice C tamen excepto — nonnusquam consentit. Sed notandum eum mire cum traditione Θ^{S}Q(Π^{L}) concrepare.

3. De codice luxoviensi u et de lectionario 251

Foliis u aliis alio dispertitis, reliquiae prophetiae Hiezechielis quas colligere potuimus tenuiores sunt quam ut eas tantum investigemus. Lectiones enim u in *Ez* variae hae sunt: 38,8 + *a* = RY$T^{2}\Phi$C$\Delta^{L}\Lambda^{L}\Pi^{L}A^{2}$ Θ^{SHG}. – 38,14 *ait*] *dicit* = Θ^{S}QΓ^{A}SUΦC$\Sigma^{T}\Delta^{L}\Pi^{L}$. – 38,16 *me*] *meae* = RYT$\Phi^{E*R*GP}\Pi^{L}$AX. – 42,15 *eduxit*] *et duxit* = Φ^{E}S*M*. – 43,2 om. *a* = Q*.

Itaque lectiones u in *Ier* 17-18 et 51 atque *Lam* 2-3 addere liceat, quibus liquet codices RY ad reliquias u propius accedere.

Nam septies u cum R uno concinit: *Ier* 17,26 om. *et* (ult.). – 17,27 om. *et* (1°). – *Lam* 2,16 om. *suum*. – 2,19 om. *ad*. – 2,20 *vide*] *video*. – 2,22 *educavi*] *educavit* (cum Φ^{P}*). – 3,18 *dixi*] *dixit* (cum Φ^{P}).

Lectiones quinque atque easdem graviores codex u cum R et diversis codicibus communicat: *Ier* 51,29 *ponat*] *ponam* cum Θ^{HA}E*SU. – *Lam* 2,14 *eiectiones*] *electiones* cum $\Pi^{L}\Delta^{L}$. – 2,15 *haecine est*] *haec inaest* cum T*O^{2}, cf. A*XΛ^{L}*. – 2,19 *conpetorum*] *conflictorum* cum A*Γ^{A}. – 2,21 *senes*] *senex* cum ETSUO$\Theta\Lambda^{L}$. Notandum praeterea litterarum hebraicarum ordinem *Lam* 2,16-17: *FE... AIN* RAOTSUΓ^{A}X cum 𝔓; *FE*, omisso *AIN*, u; ~ *AIN... FE* ceteri, ordinem solitum secuti. *Ier* 51,42 (*multitudine*) *fluctuum*] *fluctum* scr. RΔ; *fluctus* uΘ^{G} (qua lectione scriptura *-um* codicis R in codice u, traditionis vero Δ in Θ^{G} est emendata).

Addantur lectiones sex minutiores cum R et aliis codicibus communes: *Ier* 17,22 *praecepi*] *praecipi* cum ES*U. – 17,27 *devorabit*] *devoravit* cum O$\Pi^{L2}\Phi^{E}$*. – 18,8 *adversum*] *adversus* cum EO$\Theta^{AMG}\Phi^{P}\Pi^{L}\Sigma^{T}\Delta$. – 51,41 *stuporem*] *stupore* cum A*$\Pi^{L}\Theta^{G}$. – *Lam* 2,17 scr. *cornum* cum Γ^{A}XΔ^{M}. – 2,22 *enutrivi*] *nutrivi* cum EAΓ^{A}XΣ^{T}.

His vero lectionibus iisque levioribus codex u a R dissidet: *Ier* 17,19 om. *et* (3°). – 18,4 om. *illud* cum A. – 51,43 *inhabitabilis*] *inhabitabiles*. – *Lam* 2,17 *laetificavit*] *laetificabit*. – 2,18 *muros*] *muro*. – 3,14 (*in*) *derisum*] *derisu*. – 3,26 *salutare*] *salutari*. – 3,28 *levavit*] *levabit*. – 3,39 *murmuravit*] *murmurabit*.

Lectio varia *Lam* 3,42 digna est sane quae notetur: (*ad iracundiam provocavimus idcirco tu*) *inexorabilis es*] *exorabilis es* u cum lectionario luxoviensi (251) (quasi contra Dei misericordiam peccasset Hieremias). Quae lectio, cum R eam non habeat, a lectionario in codicem u videtur effluxisse.

Ea lectione u cum 251 communi adducimur ut lectionarium luxoviense, quod iisdem in Galliae partibus eodemque fere tempore (circ. 700) quo u conscriptum est, etsi eosdem Hiezechielis versus non continet, cum ceteris codicibus nostris comparemus.

Lectionarium cum $\Theta^{s}Q\Pi^{L}\Gamma^{A}$ artius quam cum RY (34, 4. 8. 12) conectitur. Notandum imprimis additamentum 44,3 + *sic sicut est clausa rex transibit per eam* $\Theta^{s}Q\Pi^{L}$; deinde 34,17 *iudico*] *iudicabo* $\Theta^{s}Q^{2}\Pi^{L}X$. – 34,27 + *deus* $\Theta^{s}Q$. – 37,5 *vos*] *vobis* $\Theta^{s}Q\Gamma^{A}X\Delta^{L}\Lambda^{L}$. – 37,6 *vobis*] *vos* $\Theta^{s}Q$ *GR-M*. – 43,20 *coronam*] *cornua* $\Theta^{s}Q\Gamma^{A}Y^{2}SX$. – 43,24 + *in* $\Theta^{s}Q\Gamma^{A}\Pi^{L}X\Delta^{L}$. – 43,26 *manum*] *manus* $\Theta^{s*H}S*\Delta\Phi^{p*}$. – 43,27 + *septem* $\Theta^{s}Q\Pi^{L}R^{2}\Phi^{R2}\Lambda^{L}$. – 43,27 *pace*] *peccato* $\Theta^{s}Q\Pi^{L}AO\Theta^{AMG}\Delta\Lambda^{L}$. Verumtamen non desunt lectiones $\Theta^{s}Q$, quas 251 non habeat.

4. De codice austrasiano i

Quaternio i (*Ez* 16,5-23,21), quamquam in Gallia orientali exaratus, ad stirpem ETSU non pertinet. Lectiones varias 18 notavimus, praetermissis varietatibus minoribus: 16, 17. 46. 48. 56. – 17, 23. – 18, 21. 24. 31. – 20, 7. 36. 41. – 21, 22. – 22, 2. 20. 25. 27. 28. – 23, 10. Ex quibus 18 lectionibus, 13 cum Θ^{A}, 11 cum Θ^{M}, 11 cum Π^{L}, 10 cum O, 5 cum A concordant. Conici ergo licet traditionem k iam anno circ. 700 in Gallias esse diffusam.

5. De codice benedictoburensi m

Reliquiae m, in Hieremia 52, 5-34 et in *Lament.* 1, 1-6, cum codice R artissime conectuntur. In Hiezechiele autem cum RY nisi lectionibus minutioribus non faciunt, cf. 26, 8 (cum EU). – 27, 27. – 28, 2 (cum $E^{2}TS$). – 29, 21 (cum U). – 30, 8 (cum ETS). 14 (cum ETS). – 33, 12 (cum S). Pluris ducendae sunt lectiones quibus cum recensione ETSU concinunt: 24, 17. – 25, 9. – 26, 4. – 27, 27. – 29, 10 bis. 12. 17. 18. 19. – 32, 27.

Quibus necessitudinibus diversis comprobatur corpus propheticum in RY editione duas in partes esse distributum; eamdem distributionem praebet codex S, tamquam eam ut antiquiorem librarii Germaniae meridionalis retinuerint.

6. De codice hibernico z

Reliquiae z, etsi commentaria ex Gregorii Magni homiliis sumpta extremis in laterculis praeferunt, atque cum $\Theta^{s}Q$ quater consentiunt (3,14 *levavit*] *elevavit* cum Π^{L} et *GR-M.* – 3,15 *ubi*] *ibi* cum Π^{L}, cf. ⓖ. – 16,10 *ianthino*] *iacinthino* archet., *iacinto* $z\Theta^{s}Q\Pi^{L}\Theta^{HG}\Delta^{L}X$ cum ⓖ. – 16,27 (*in*) *animam* (*odientium*)] *animas* cum $\Pi\Theta^{HAMG}\Delta^{M}$* 176 et ⓖ), saepius tamen a traditione $\Theta^{s}Q$ discrepant: 2,8 $\Theta^{s}Q\Pi^{L}$ cum *GR-M.* – 3,11 item. – 2, 9. – 3, 10. 12. 13. – 16, 4. 5 $\Theta^{s}Q\Phi ETU$ cum 176. 8 $\Theta^{s}Q\Theta^{HG}\Delta^{M}$. 13 $\Theta^{s}QT\Phi$. 20. 29 $\Theta^{s}QRSi$. Lectiones AO (2, 6. – 3, 13. 15. – 16, 17), O (2, 6), ETSU (2, 6. – 3, 10. – 16, 5. 6. 13. 19. 31), RY (3, 9. 15. – 16, 13. 28), $C\Sigma^{T}\Delta$ (2, 8. – 3, 9. 11. – 16, 14. 30. 38) non communicant.

Librarius rationem scribendi hibernicam secutus [50] *filii* (in vocativo) semper (2, 8. – 3, 1. 3. 4. 10) scripsit; quae scriptura omnibus Hiezechielis prophetiae locis in codice quoque A invenitur.

Menda quibus cum codicibus plerisque (3, 13) aut cum paucis sed fortuito (16, 27 cum Δ^{M}) conectitur, nihil conferunt, quo eius adfinitates declarare valeamus.

Earum reliquiarum antiquissimarum auctoritate testimonium familiarum confirmatur, quae cum eis cohaerent. Nam familiae $O\Theta^{AM}$ non solum codex k, sed reliquiae quoque i suffragantur; traditio $\Theta^{s}Q$ testimonio corroboratur non solum codicis d, sed etiam lectionarii 251 et lectionum quas cum l et fortasse cum fz communicat. Origo autem et propagatio traditionis RY lectionibus u et m declaratur. Codicis denique legionensis l lectionibus recensiones hispanae X, Σ^{T}, Δ^{L} praesagiuntur.

IX. De codicibus hispanis

Necessitudines quae inter codices hispanos intercedunt in Prolegomenis libri Isaiae fuse tractavimus [51]. In libro autem Hiezechielis menda eorum codicum communia pauciora sunt quam quibus historia traditionis, quae dicitur, possit illustrari.

1. De codice C

In codice Cavensi oracula contra nationes titulis instructa sunt, qui litteris uncialibus in columnas inserti aut, deficiente spatio, in marginibus additi, cum notis ad margines codicum Δ^{LB} adscriptis [52] sunt quodammodo conexi: 25,1 *contra ammon.* – 25,8 *de moab et seyr.* – 26,1 *de tyro.* – 28,20 *de sidone.* – 29,1 *de pharaone et de aegypto.* – 35,1 *ad seyr* (litteris capitalibus).

---

[50] Cf. B. Löfstedt, *Der hibernolateinische Grammatiker Malsachanus*, Upsalae 1965, p. 88.

[51] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. XXIX-XXXV, XLIX-LIV.

[52] Cf. infra p. 36-39.

Adde (litteris minusculis visigothicis) 37,1 *de resurrectione.* – 37,25 *de christo.* – 38,2 *de tempore antichristi.*

Memorentur praeterea notae marginales quas, cum ad exegesin pertinerent, in apparatum nostrum non adduximus: 40,17 *gazophylacia* ¶ *id est cellulas parvas*; 41,18 *cherubim* ¶ *scientiae multitudo. ceterum cerubin ipsud in sancta sanctorum duo tantum significantur animalia*; *aliis vero locis hubi hoc nomen legitur aut picturam aliquam indicat aut varietatem.* Quae ambae ex Eucherii Lugdunensis Institutionibus [53] sunt depromptae. Titulos et notas is librarius arbitramur apposuisse, qui codicem exaravit.

Menda nonnulla ex vitio aliquo exemplaris in codicem cavensem irrepsisse videntur, litteris evanidis a librario coniectura suppletis: vide 25,14 *idumeam*] *eam.* – 31,14 *filiorum*] *fluviorum.* – 34,4 *aegrotum*] *hegregium.* – 38,9 *ut*] *cito.* – vel etiam 32,2 *cornu*] *coyanu.* – 16,9 *sanguinem*] *te a inem.* Cf. 40,43 *oblationis*] *hobligationis.* – 40,44 *orientalis*] *horientis talis.*

2. De codicibus CΣ^{T}

Ad codicem C codex Σ^{T}, deinde Δ^{L}, in Hiezechiel propior accedit. Menda CΣ^{T} in cap. 1-30 haec sunt (adduntur codices qui ea communicant): 1, 24. – 2, 8 cum Δ. – 3, 11. 23 cum Δ^{M}. 27. – 4, 1. 10. – 5, 16. – 6, 9. – 7, 2. 9. 15. – 9, 6 cum X. – 10, 14. – 11, 16. 17. 21 cum Δ^{L}. – 12, 7 cum ΔΛ^{L}. – 13, 15. – 14, 11 cum Δ^{L}Φ^{RG}. 19 *misero* cum Δ^{M}U; *in sanguinem* cum Δ; *iumenta* cum Δ^{L}E*. – 15, 2. 3, cf. 176. 3 cum Δ^{L}. – 16, 7. 9. 14. 30 cf. X. – 16, 55 *antiquitatem*] *iniquitatem* ter: 1° CΣ^{T}Θ^{A}; 2° CXΣ^{T}Δ^{L}Θ^{A}; 3° Δ^{L}Θ^{A}U. – 17, 6 cum XΔ^{M}. – 18, 22 cum Δ^{L}. 30 Δ^{L} *HI.* – 19, 2 cum Δ^{L}. – 20, 5-6. 38 cum Θ^{A}. – 21, 10 cum Δ^{L}Λ^{L}. 26. – 22, 26. – 23, 5. 16 cum Λ^{L}U. 20. 25. 39 cum EU. 40. – 24, 3. 8 cum ESU. – 26, 9 cum XΔΛ^{L}*Θ^{HAG}. 10 cum Δ. – 27, 5. 5 ~ cum Δ^{L}. 8 cum Δ^{LM2}Λ^{L}. 11. 34. 36 cum Π^{L}Θ^{H}. – 28, 16 cum Δ^{LM2}Λ^{L}. 18 CΣ^{T2} cum Δ^{LM2}Θ^{M}*. – 29, 5 cum Π^{L}Θ^{G}YU. 9 cum XΔ^{LM2}ΦΘ^{HAMG}S et *HI.* – 30, 18 cum Λ^{L}Π^{L}ΦΘ^{HAMG} *HI.* 22 CΣ^{T2} cum XΠ^{L}Θ^{AM}. Adde 44,4 + *et audivi vocem dicentis ad me benedicta gloria domini de loco suo.*

3. De codicibus CX

In Hiezechielis libro codex X cum Cavensi solo perraro concordat. Has lectiones amborum proprias notavimus: 11,18 *de illa*] *in die illa*; 23,7 *in* 3° om. cum Λ^{L}*Φ^{R}* *HI*; 35,6 *sanguinem oderis*] *sanguine morieris.*

4. De necessitudinibus codicum Δ cum Θ

Necessitudines recensionis Δ cum theodulfianis iampridem notae sunt. Codices autem theodulfiani non sunt unius eiusdemque recensionis: nam Θ^{S} eorum antiquissimus cum codice bobiensi artissime conectitur [54],

[53] Ed. C. Wotke, CSEL XXXI, Vindobonae 1894, p. 149, 17 et p. 146, 13.

[54] Cf. supra p. xxxiv.

Θ^{AM} vero codicem italicum k patet exemplar praecipuum habuisse[55]; Θ^{H} autem, quem Θ^{G} secutus est, ex alia quadam traditione profluxit, a qua codices quoque Δ^{LM} multa hauserunt. Contigit tamen ut Θ^{H} nonnulla ex Θ^{s} repeteret, Θ^{AM} lectiones Θ^{H} servarent, Θ^{G} denique ad Θ^{AM} rediret.

Huc afferentur lectiones 19 quibus Δ^{LM} in *Ez* 1-30 cum Θ, inprimis cum Θ^{H}, concinunt: 1,3 *secus flumen*] *iuxta fluvium* $\Delta\Theta^{HMG}$. 5 + *quasi* $\Delta\Theta^{HAM*G}$. – 5,7 $\Delta\Theta^{HG}$. – 6,10 $\Delta\Theta^{HG}$. – 8,12 $\Delta\Theta^{G*}$. 17 $\Delta\Theta^{H}$. 18 $\Delta\Theta^{H}\Phi^{P}$. – 9,10 $\Delta\Theta^{HAM2G*}$. – 10,9 $\Delta\Theta^{H}\Phi^{P}$. 20 + *super domum* $\Delta\Theta^{HG*}$. 22 $\Delta\Theta^{H}$. – 12,27 *longa*] *multa* $\Delta\Theta^{H}$. – 16,43 $\Delta\Theta^{H}$. – 19,1 + *fili hominis* $\Delta\Theta^{HAMG}\Phi^{P}$. – 20,28 $\Delta\Theta^{HAM*G}$E. 46 *austri*] praem. *theman* Δ; + *theman* Θ^{HA2G*} (ex 175 176). – 22,18 $\Delta\Theta^{HG*}$. – 27,16 *chodchod*] *coccum* $\Delta\Theta^{H*A2G*}$; *cocco* Σ^{T}. 36 *in perpetuum*] *in sempiternum* $\Delta\Theta^{HG}$.

Codex Δ^{L} nusquam cum Θ facit, quin cum Δ^{M} societur; nam lectio 20,47 *comburem* $\Delta^{L}\Theta^{HG}\Psi^{D*}$ a librario Δ^{M} in lectionem veram *comburam* emendata est.

Codex contra Δ^{M} lectionibus 20 cum codicibus Θ eisdem in capitibus 1-30 consentit: 11,18 $\Delta^{M*}\Theta^{G*}$. 19 (*cor*) *unum*] *novum* $\Delta^{M*}\Theta^{HM*G}$X cum *Brev. Goth.* – 13,22 *confortastis*] *confirmastis* $\Delta^{M*}\Theta^{HG}$. – 15,7 $\Delta^{M}\Theta^{H}$. – 17,7 $\Delta^{M*}\Theta^{HG}$. – 22,17 $\Delta^{M}\Theta^{G}$. – 23,36 $\Delta^{M*}\Theta^{HG*}$. 42 $\Delta^{M}\Theta^{G}$. – 24,5 $\Delta^{M*}\Theta^{G}$. 21 $\Delta^{M}\Theta^{HAG*}$. 27 $\Delta^{M}\Theta^{H*AMG}$. – 26,5 *sagenarum*] *sanguinarum* $\Delta^{M}\Theta^{H}$. 11 $\Delta^{M*}\Theta^{HA*G*}$. – 27,4 *aedificaverunt*] *fabricaverunt* $\Delta^{M}\Theta^{H}$. 14 $\Delta^{M*}\Theta^{H*AMG}$. 17 $\Delta^{M*}\Theta^{H*}$. – 28,4 $\Delta^{M*}\Theta^{H2G}\Pi^{L}$. – 29,16 $\Delta^{M}\Theta^{G*}$. 17 + *primi* $\Delta^{M}\Theta^{H*AM*G}$ cum 176. – 30,20 $\Delta^{M*}\Theta^{HAG*}$.

Itaque cum Δ 40^{es} faciunt theodulfiani, inter quos Θ^{H} 34^{es} (10^{es} solus), Θ^{G} 30^{es} (6^{es} solus), Θ^{A} vel Θ^{M} 14^{es} (semper cum Θ^{H}). Exemplar ex quo Θ^{G} exscriptus est sex lectiones hispanicas (8, 12. – 11, 18. – 22, 17. – 23, 42. – 24, 5. – 29, 16) retinuit, quas Θ^{H} iam reiecerat.

Lectiones Δ^{LM}-Θ atque Δ^{M}-Θ cum eiusdem sint generis, certum est codicem Δ^{L} traditiones in se plures admisisse, inter quas inprimis[56] toletanam Σ^{T}; codicem autem Δ^{M} puriorem esse. Lectio tamen $\Delta^{M}\Theta^{H}$ communis nulla ante 11,18 invenitur; Δ^{L} in cap. 1-10 quare cum eis tam mire concinat, explicare desistimus.

In libri Isaiae prolegomenis[57] traditionem Δ ex editione Θ pendere arbitrabamur. Nunc autem censemus Theodulfum exemplaria visigothica ad prophetas sicut ad alios libros[58] recensendos adhibuisse. Vide *Ez* 5,7 *non* om. $\Delta O^{2}\Theta^{HA2MG}$ cum $CX\Sigma^{T}$; 11,19 (*cor*) *unum*] *novum* $\Delta^{M}\Theta^{HMG}$ cum X et Breviario Gothico; 26,9 *vineas*] *lineas* $\Delta\Theta^{HAG}$ cum $CX\Sigma^{T}\Lambda^{L*}$.

---

[55] Cf. supra p. XXX-XXXIV.

[56] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. XXXIV.

[57] Cf. ibid., p. XXXIV, XXXIX.

[58] Cf. B. FISCHER, *Bibeltext...* (supra p. XI, adn. 1), p. 179-182.

Vide quoque lectiones $C\Sigma^{T}$ supra [59] selectas, quas nonnulli familiae Θ codices communicant: 16, 55 (bis). – 20, 38. – 26, 9 cum Δ. – 27,36. – 28, 18 cum Δ. – 29, 5. 9 cum Δ. – 30, 18. 22.

X. De nonnullis recensionibus e quibus editio Ω conformata est

De editionibus Φ et Θ, Caroli Magni temporibus perfectis, satis dictum est [60]. Quas librarii inter se et cum aliis ita postea commiscuerunt ut, proprietatibus traditionum antiquiorum oblitteratis, in plerosque codices admiserint, velut in codices Φ^{P}, Ψ^{D}, atque in alios quos in prioribus huius editionis voluminibus ad textum recognoscendum adhibitos in posterioribus ab apparatu reiecimus. Haud inopportunum tamen videtur has traditiones mixtas accuratius explorare, quippe quibus studium quod recensores litterati impenderunt declaretur; quod in codice corbeiensi Z^{c} maxime eminet.

1. De recensione Z^{c}

Traditiones Θ et Φ in plerisque codicis Z^{c} libris ita commixtas esse, ut tamen aliae quoque traditiones admiscerentur, viri docti iampridem agnoverunt [61]. In lectionibus perpendendis et eligendis studium eruditi cuiusdam recensoris apparet, qui textum diligenter emendandum curavit. Patet enim ex Hiezechielis capitibus 31-39, quae subtilius scrutavimus, hunc recensorem diversorum exemplarium lectiones ad veritatem hebraicam exegisse; non quod ad hebraicum verbum pro verbo reddendum lectiones novas, sicut « hebraeus ille modernis temporibus in legis scientia peritus » [62] qui in codice Θ^{G} libros Heptateuchi Regum Iob ac Psalterium adnotavit [63], excogitaret; sed exemplar masoreticum ad lectiones Θ, Φ, interdum ETSU, $\Theta^{s}Q$, *HI*, ponderandas et diiudicandas vel ipse vel potius hebraeus quidam quem advocavit adiutorem adhibuit. Hebraeus autem ille quem Theodulfus advocaverat eos emendavit libros in quos Hieronymus commentaria nulla fecerat; recensor vero Z^{c} etiam commentaria *HI* ad prophetas edendos accurate contulit.

---

[59] Cf. supra p. LII.

[60] Cf. supra p. XLVI-XLVII, XXIX-XXXIX, LII-LIV.

[61] Vide apud B. Fischer, *Bibeltext...*, p. 187, quid senserint auctores.

[62] Rhabanus Maurus, ep. 14, in *Monumentis Germaniae Historicis*, Epist. V, 2, Berolini 1899, p. 403.

[63] Quae emendationes insertae sunt in ipsum codicis Θ^{K} textum, cf. H. de Sainte-Marie, *S. Hieronymi Psalterium iuxta Hebraeos*, Romae 1954, p. XXXI-XXXIII. De illo hebraeo et de *Questionibus hebraicis in libros Regum* vide A. Saltmann, *Questions on the Book of Samuel* (Studia post-biblica 26), Lugduni Batavorum 1975, p. 5-17.

Ex erroribus minutioribus, quibus Z^c deturpatur[64], coniciendum codicem parisinum editionem ut ita dicamus principem non constituisse, sed textum praebuisse quem recensor paulo ante emendaverat.

Eiusdem generis textum alii quoque praeferunt codices carolini, in primis alter codex corbeiensis M (etiam M^2), et maxime M^s quo eius folia deperdita (36, 34 - 39, 28) sunt suppleta[65]. Quanti recensio corbeiensis fuerit ponderis in Universitatis parisiensis editione elaboranda, conici licet ex lectionum ΦZ^c et ΘZ^c frequentia, quae in codicibus Ω inveniuntur; lectiones tamen quae Z^c (M^s) sunt propriae (cum 𝔎), nec in M nec in Ω sunt receptae. Cum idem dicendum sit de emendationibus quae in Θ^G, ut vocabula hebraica pressius redderentur, adscriptae sunt, colligi potest recensores carolinos ad hebraicum confugere sine dubio potuisse, sed lectiones a peritis propositas, ab antiqua autem traditione alienas, de industria repudiasse[66].

Sed necessitudines recensionis Z^c cum 𝔎 ostendamus.

Sicubi lectiones cum 𝔎 congruentes in codicibus quoque antiquioribus inveniuntur, non continuo existimandum est recensorem, exemplar hebraicum in expedito habuisse. Cum autem non desint lectiones quas Z^c unus vel fere unus exhibeat, dubitare non licet quin recensor textum ad veritatis hebraicae normam, *HI* commentariis prudenter consultis, exegerit.

33, 21 codices omnes cum archetypo (*in duodecimo anno*) *in duodecimo mense*; *in decimo mense HI* (in lemmate l. 1198, item bis in expositione l. 1207 et 1243); *in decimo* Z^c cum 𝔎, accuratissime; aℓ *in decimo* M in margine. Forsitan quispiam dixerit numerum decimum e Commentariis esse sumptum. At quomodo fieri potest ut vox *mensis* sit omissa? Vix credideris recensorem contra codices latinos *mensem* expungere potuisse, nisi errorem de numero, Commentariis adhibitis et hebraico consulto, deprehendisset.

33, 11 codices omnes cum archetypo et *HI convertimini* (semel)[67]; in 𝔎 vox iteratur (שובו שובו), cf. 𝔊 *ἀποστροφῇ ἀποστρέψατε* et Veteris

---

[64] Amanuensis nonnullos errores admisit quos correxit altera manus: 31, 3 om. *et* (1°); 31, 4 *in circuitum*; 31, 9 *quae*] *qui*; 31, 13 post *eius* (2°) erasum est vocabulum quoddam; 31, 15 *infer******; 31, 17 (*inter*)*fectos gladio* in rasura; et multa his similia. Nec desunt errores quos nemo correxerit: 31, 8 *illi in pulchritudine eius* – 32, 10 *stupescent* – 32, 12 *et inexpugnabiles* – 32, 25 *dederunt... descenderunt* – 32, 30 *descenderunt*. Quae lectiones recensioni non sunt tribuendae.

[65] Qui codicis M folia 91-98, saec. x exeunte ut videtur, supplevit (M^s), ipsum codicem Z^c habuit exemplar.

[66] Correctores Universitatis parisiensis, quos assidue in apparatu nostro laudamus, lectiones novas, quamvis interpretationem latinam sedulo cum 𝔎 contulissent, nullas introduxerunt, sed lectiones quas in codicibus legebant notis *h, a, i, m* (quae scilicet lectiones cum *h*ebraico, cum *a*ntiquis codicibus, cum *i*eronymo, cum *m*odernis concrepabant) distinguere studuerunt.

[67] Verborum geminationem ita neglegere Hieronymus non consuevit; nihil ergo prohibet quin eius notarius vocem semel transcripserit, quam ipse bis, fortasse parum distincte, dictasset. Afferentur infra lectiones nonnullae quas Commentaria ex archetypo iam corrupto repetierunt, cf. p. LXXVIII-LXXXII.

interpretationis latinae codices 175 176 *aversione avertite vos*; *convertimini et redite* Z^c. Recensor Hieronymi expositione profecto usus est, in qua continuo post lemma (33, 1-20) versum simillimum 18, 30 (qui in Vulgata translatus est *convertimini et agite paenitentiam*) legebat eodem modo redditum: « si neglegenter legamus, videtur nobis eadem prophetia esse quae supra, in qua dicitur... *convertimini et redite ab universis impietatibus vestris* »[68]. Fieri nequit quin, versu 18, 30 (non autem 33, 11) hanc in expositionem adducto, ad omissionem deprehendendam ipsum hebraicum adhibuerit; ad verbum autem supplendum, cum lectionem novam (exempli gratia *convertimini convertimini*) suo Marte excogitare nollet, lectionem hieronymianam 18, 30 in expositione curiose perquisivit.

32, 25-26 enumerati sunt reges interfecti eorumque populi in inferno positi. Quinque membra, v. 18-26, eodem fere modo repetuntur: *interfecti et qui ceciderunt gladio* (22), *interfecti cadentesque gladio* (23), *interfecti ruentesque gladio* (24), *interfectique gladio* (25, cum 𝔓; *interfecti et cadentes gladio* AO Θ^{HAM*G}, ex v. sequenti), *interfectique et cadentes gladio* (26). Ultimis tamen versibus 25-26 omisit 𝔓 verba *et cadentes*; item meliores codices latini v. 25 tantum. Quamquam Z^c a traditione Θ manavit, lectionem tamen breviorem Φ recensor v. 25 praeoptavit, hebraico consulto: nam v. 26 verba *et cadentes*, quae codices omnes cum *HI* praebebant, hebraico solo confisus cancellavit; quae verba abundantia fortasse non reiecisset, nisi v. 25 traditione Φ fretus.

32, 10 *ruinae suae* codices omnes cum *HI*; *ruinae tuae* restituimus[69] cum 𝔓𝔊 et Z^c uno, ubi lectio vera ex hebraico sumpta sit necesse est.

37, 19 (*in manu*) *eius* codices cum *HI*; *mea* Z^cM^s cum 𝔓.

39, 7 (*et scient gentes quia ego*) *dominus sanctus israhel* codices; *dominus deus sanctus israhel HI*; *dominus sanctus in israhel* Z^cM^s cum 𝔓, quem consensum in lectionem insolentem fortuitum esse nemo erit qui censeat.

31, 12 (2°); 34, 31; 36, 5 (2°); 39, 18 (3°) copula *et* omissa lectionem difficiliorem Z^cM^s una cum S, ETSU, Σ^{T*}, Π^L elegerunt.

31, 15 additur *et* cum Θ^sQU; 32, 29 item cum $\Psi^{'D}\Omega^{sJ}$.

31, 1 praem. *in* (*in tertio*); 32, 1 item (*in duodecimo anno*) cum $\Pi^L\Phi^{E2P*}$ $SQ^2\Omega^{sJ*}$.

39, 19 (*et comedetis... de victima quam ego*) *immolabo*] *immolavi* Z^c cum E*SU *HI*; *immolo* $\Theta^{M*G*}\Delta^{M*}\Phi^P\Gamma^A\Psi^{'D}$ ex v. 17.

Conici licet recensorem Z^c, cum de lectione Θ^M an Φ praeoptanda dubitaret, traditionis ESU lectionem testimonio *HI* et 𝔓 fretum repetiisse.

Necessitudines Z^c cum codicibus Θ (qui saepe traditionem AO secuti sunt) artiores sunt quam ut omnes huc colligantur. Pauca tantum hic

---

[68] Ed. F. Glorie, p. 470, 1139-1144.

[69] Cf. infra p. LXXVIII.

afferantur : 34, 25 ~ *pactum pacis cum eis.* – 36, 11 *dominus deus.* – 38, 22 *et cum lapidibus.* – 31, 7 (1^a manus) *arbustarum suarum.* – 36, 37 (1^a manus) *in eis.* – 37, 23 *in deum.*

Haec cum quibusdam aliis $Z^c\Theta$ communicant: 32, 24 *sui*] *eius.* – 33, 2 *suis*] *eorum.* – 33, 28 *in desertum* (cum *HI*). – 34, 14 *earum* (cum *HI*). – 36, 18 *effuderunt.* – 37, 1 *et facta est.* – 37, 25 *vestri*] *eorum.* – 38, 8 *dies autem.* – 39, 11 *faciat.*

Contingit quoque ut, nullo codice Θ in apparatum relato, Z^c cum O ita faciat ut coniciendum sit aliquem codicem Θ lectionem k tradidisse: 37, 11 *est*] *sunt* (1^a manus). – 39, 17 *agri*] *terrae* cum M^s; *terrae agri* Θ^A. – 39, 17 (*ut comedatis*) *carnes* (*et bibatis sanguinem*)] *carnem* cum M^s et $X\Pi^L$. Vocabulum בשר, quod in plurali numquam invenitur, in translationibus latinis Veteris Testamenti (etiam in *HI*) hoc in sensu liturgico *carnes* reddi solet.

Contra non desunt lectionum alcuinianarum vestigia quibus necessitudines Z^c cum Φ agnosci possint: 33,1 *factus est sermo.* – 33,25 (1^a manus) *comedetis.* – 33,29 *terram eorum.* – 34,23 *ea* (2°)] *eas.* – 39,2 *reducam.*

2. De editione H

Ad editionem corbeiensem conficiendam hebraicum ita est adhibitum, ut Z^c ad editionem Ω Universitatis, quin etiam ad textum nostrum critice recognitum proxime accedat. Eodem vero tempore traditiones latinae in S. Dionysii scriptorio tam sagaciter sunt inter se collatae, ut sine ullius exemplaris hebraici adiumento editio H cum textu critice recognito saepissime concinat; lectiones varias quas exhibet paucissimas in cap. 1-20 et 31-33 huc collegimus, iis mendis praetermissis quibus solus deturpatur: 1,3 *ezechielem* = $\Sigma^{T2}\Delta^M\Omega^{sJ}$. – *iuxta* = $\Delta\Theta^{HMG}\Psi'^D$. – 1,12 ~ *spiritus impetus* = $\Theta^{HG}\Omega^M$. – 1,16 + *si* = $\Lambda^L\Phi^{E*RG2P2}\Theta^{M2}R^AYT\Omega$. – 1,18 om. *et* ($2^o$) = U. – 1,21 *levabantur* = RYS, cf. v. 20. – 1, 25 *super* = $X\Sigma^T\Phi^{ERG}\Omega$. – 2,2 *super* = $C\Sigma^T\Delta^{M2}\Phi^{P*}T^*SM\Omega^{sJ*}$. – 2,4 *facie*] *cervice* = $AO\Theta^{G2}\Psi'^D$, cf. Θ^A. – 3,13 *alteram ad alterum* = Ψ'^D. – 3,17 *domus* = $C\Sigma^T\Theta^HY^*U^*$. – *verba* = Δ^{M2}. – 4,11 *in mensuram* = $\Pi^L\Phi^P\Theta YTS^*MQ\Omega^J$. – 4,17 *corruant* = $\Pi^L\Theta^sTQ\Omega^s$. – 5,4 *et ex eo* = $\Lambda^L\Pi^L\Phi^{E2}O\Theta R^2U^2Q\Psi'^D\Omega$. – 6,11 *quia* = $\Sigma^T\Pi^L\Phi^{E2}Q\Omega^s$. – 7,6 *evigilabit* = $\Delta AO\Theta^{HAMG}\Omega$. – 7,13 *egredietur* = $CX\Sigma^T\Pi^L\Phi^P\Theta^sT^*U^*\Omega^M$. – om. *in* ($2^o$) = $\Phi^{E*}Y^*SU$. – 7,19 *iniquitates* = SU*. – 8,3 *inter*] *in* = Θ^AU^*. – 9,1 *visitationis* = $\Phi^{E*}Y^*S^*U^*$. – 9,6 *parvulos* = $\Delta^{M2}\Psi'^D$. – 10,10 + *si* = $\Lambda^L\Phi^{R2}\Theta^{M2}YU^2Q\Omega^{sJ}$. – 10,22 scr. *vultum* = $\Phi^PT^2SM\Psi'^D$. – 11,10 + *sum* = $\Delta^{M2}S$. – 11,13 *facies* = Θ^sQ. – 11,15 om. *tui* (2°) = $\Delta^{M2}\Theta^{HAM*G2}\Psi'^D$. – 11,18 om. *eius* = $\Delta^{M*}\Theta^{G*}$. – 11,21 *via* = $C\Delta^{LM2}\Pi^LYT^*U\Psi'^D$. – 12,7 *et in calig.* = Ω^{MS}. – 12,13 *eum* = Ω^s. – 12,19 *in sollicitudinem* = $\Sigma^T\Theta^{s*}R^*Y^*UQ^2$. – *in desolationem* = $\Phi^P\Theta^{SA}Q\Psi'^D$. – 12,25 om. *et* = Ω^{MS}. – 13,20 om. *deus* = Π^L. – 14,17 *et si* = Δ^{M2}. – *per*] *super* = Δ^{M2}. – 16,3 *chananea*] *chanaan* = $\Sigma^{T*}\Pi^L\Phi^{R2P}\Theta^{SM2}QM\Psi'^D$. – 16,7

confusionis] *confusione* = CXΣ^{T}Δ^{L}ΦOΘ^{HAMG}ETUΨ^{D}Ω. – 16,10 *hyacinthino* = archet. – 16,13 *multis coloribus* = archet. – 16,21 *immolantis*] *immolasti* = Φ^{E2R2}Θ^{SG}R^{2}Y^{2}UQΨ^{D}Ω. – 16,27 *extendi*] *extendam* = XΔΛ^{L2}Π^{L} AΦ^{E2}OΘMQΩ. – 16,33 + *dona* = Φ^{R2}Ψ^{D2}. – 16,38 *in sanguine* = CXΣ^{T} Θ^{S}ETUQΨ^{D}. – 16,46 *filiae* (1°)] *filia* = CΔ^{L}Λ^{L2}Φ^{R*P}Θ^{H*M*}i. – 16,53 *reversionem*] *conversionem* = Δ^{M}. – 17,4 *semente*] *semine* = Δ^{L}Λ^{L}Π^{L}Φ^{E2R2}Θ^{S} R^{2}Y^{2}MQΩi. – 17,8 *et*] *ut* = Π^{L}ΦRYT^{2}U*MΩ. – 18,3 om. *deus* = X Δ^{M2}. – 18,21 + *et* = CΣ^{T}Δ^{L}Π^{L}ΦOΘ^{HAMG}ETUMQΨ^{D}Ω. – 18,24 *fecerat*] *fecerit* = Δ^{M2}Φ^{E}. – *in ipso* = Π^{L}Mi. – 19,6 + *et* = XΔ^{M2}Ωi. – 20,3 *numquid* = Δ^{L}OR^{2}ESUΨ^{D}Ω^{S}. – 20,23 *illos*] *eos* = Π^{L}ΦRYSMΩ. – 20,34 *valida*] *forti* = Δ^{L}. – 20,36 om. *deus* = XΛ^{L}Π^{L}AΦ^{GP}OΘ^{S}RYE^{2}TUQΩi. – 20,41 *quas*] *qua* = ΔΠ^{L}Φ^{R*G}Θ^{AG*}Y*Ui*. – 20,43 om. *ibi* = Σ^{T}Π^{L}Θ^{AM*} RYQ. – 31,11 *et* = Φ^{P2}Ω^{MS}Z^{P}. – 31,15 *contristatus*] *contritus* = CΣ^{T}Φ^{P2} Ω^{M}Z^{P2}. – 32,2 *cornua* = Z^{P2}. – 32,16 *aegyptum* = Δ^{M}Π^{L}Φ$^{E\dagger R2}$ΘYS^{2}UMQ Ω^{M}. – 32,18 *robustorum* = Θ^{H*}. – *descendent* = T. – 32,25 *dederunt* = Δ^{L}Π^{L} Θ^{H2AMG2}ΩZ^{P}. – 32,31 *universam multitudinem suam* = Δ^{M2}Θ^{H2}SΩ^{MS}m. – 33,6 ~ *se non* = Δ^{L}ΦΘ^{S}YTSUQΩ^{MJ2}. – 33,11 *moriemini* = permulti. – 33,14 *si* = Π^{L}AOΘ^{H*}ETUM*Ω. – 33,15 + *et* = permulti. – 33,18 *iniquitates* = permulti. – 33,22 *aperuique* = XΔ^{M}Λ^{L}AΦ^{RG}Θ^{HM*G*}YTSMQ Ψ^{D}Ω^{M}. – 33,27 *morietur* = Δ^{L2}Π^{L}Θ^{S}E*. – Inter quas maioris sunt momenti lectiones 1,3 (*iuxta*). – 16, 21. 46. – 18, 21. – 20, 34. 43. – 31, 11. 15. – 32, 18. – 33, 6; quarum aliae vestigia sunt exemplaris cuiusdam codici Θ^{G}(Θ^{G2}) haud dissimilis, aliae traditionis Σ et fortasse Φ. Praeter exspectationem cum codice nostro saepe saepius concinunt Δ^{M} et Δ^{M2}: 1, 3 bis. – 2, 2. – 3, 17. – 9, 6. – 11, 10. 15. 18. 21. – 14, 17 bis. – 16, 27. 53. – 18, 3. 24. – 20, 41. – 32, 16. 31. – 33, 22.

Patet itaque editioni parisiensi H etsi purissimae non plus aequo fidendum, cum sint in ea traditiones complures inter se commixtae.

Lectiones recensionum Φ et Θ proprias codex H non accepit, neque lectiones quibus Z^{c} (sicut 32, 10. 25. 26. – 33, 11. 21. – 34, 25. – 36, 11. – 37, 19. – 38, 22. – 39, 7. 19) distinguitur [70].

3. De codice Z^{P}

Editio Z^{P}, cum sit paulo ante quam H et Z^{c} perfecta (an. 821-822), omnia fere ex recensione alcuiniana ita hausit, ut ei in Prophetarum libris pauca ex aliis traditionibus, inter quas Θ^{AM}, deprompta admisceret [71].

Lectiones recensionis Φ proprias [72] communicat fere omnes ($^{37}/_{42}$): Z^{P}Φ 18, 15. – 20, 21. 28. – 21, 11. 31. – 22, 23. 25. – 23, 4. – 27, 11. –

---

[70] Cf. supra p. LV-LVII.

[71] Cf. 31, 16 *consolata*] *conlocata* Z^{P}OΘ^{AM*G2} – 32, 25 *dederant*] *dederunt* Z^{P}Θ^{H2AMG2}Δ^{L}Π^{L}Ω – 32, 25 + *et cadentes* Z^{P2}AOΘ^{HAM*G}.

[72] Cf. supra p. XLVII. Lectiones quibus traditio Φ cum codicibus antiquioribus facit, cum necessitudines quae inter Φ et Z^{P} parum illustrarent, notare supersedimus.

29, 7. 16. 20. – 31, 14. 16. 18. – 32, 8. 10. – 33, 29. – 34, 20. Adde $Z^{p2}\Phi$ 24, 8, ubi librarius se ipse correxisse videtur; ac lectiones $Z^{p*}\Phi$ manu altera deletas 7, 20. – 21, 27. – 23, 7. – 24, 6. – 26, 16. – 27, 11. 27. – 28, 12. 17. – 29, 12. 15. – 30, 21. – 32, 1. 23. – 34, 4. 10. – 35, 13. Menda Φ propria quinque tantum numero librarius non accepit, utpote quae in exemplari quo utebatur iam essent correcta: 22, 12. – 24, 25. – 26, 15. 20. – 34, 27. Ex his quinque emendationibus Z^{p} et septemdecim Z^{p2} liquet nono iam saeculo incipiente lectiones Φ haud temere esse receptas, quin eas recensores sedulo ponderarent.

4. De emendationibus in codices carolinos manu altera introductis

Lectionibus T et T^2 subtiliter examinatis [73], perspeximus correctiones eo in codice esse saeculo octavo exeunte congestas, ut editio turonensis pararetur et formaretur; item dicendum de emendationibus creberrimis E^2, S^2, R^2, multisque aliis nono quoque saeculo introductis. Quae cum ita sint, praeter editiones in scriptoriis maioribus recensitas et vulgatas, haud negligendae sunt correctiones in exemplaria ad eas retractandas introductae. Liquet huius generis correctiones in iis potissimum scriptoriis esse factas, in quibus artium et litterarum studia vigerent codicesque exquirerentur et circumferrentur: codices scilicet hispani rarius vel rarissime, libri vero in monasteriis carolinis adservati et lectitati iterum atque iterum sunt emendati.

Quarum emendationum aliae in eodem scriptorio atque eadem via et ratione sunt effectae, ut editio iam vulgata perficeretur, aliae diversis in locis ita sunt introductae, ut traditiones diversae inter se commiscerentur. Ita codices Θ^{M} et Θ^{G} in scriptorio theodulfiano emendati sunt, sicut comprobatur et correctionum scriptura, et codice Θ^{K} Psalterii iuxta hebraeos, in quem lectiones Θ^{G2} effluxerunt omnes [74]. Emendationes vero codicis parisini Z^{p2} cum codice parisino H ac remensi Φ^{p2} in *Ez* 31-33 concinere notavimus [75].

Nihil mirum, si eiusmodi lectionibus Θ^{M2}, Θ^{G2}, Z^{p2}, quibus traditiones aliae cum aliis permiscebantur, editio Ω quodammodo adumbrabatur, quam magistri parisienses erant vulgaturi.

XI. De recensionum origine

Quemadmodum Novi Testamenti aut veterum translationum latinarum recensiones papyris declarantur aut Patrum scriptis, ita fere interpretationis vulgatae traditiones, quales fuerint antequam codices scribe-

---

[73] Cf. supra, p. XLII-XLVI.

[74] Cf. H. DE SAINTE-MARIE, *S. Hieronymi Psalterium iuxta Hebraeos*, Romae 1954, p. XXXI-XXXIII.

[75] Cf. supra p. LVIII.

rentur qui nobis praesto sunt, codicibus mutilis, lectionariis, Gregorii Magni homiliis agnoscuntur. Atque codices nostri, quamvis sint antiquitus longe lateque dispersi, lectiones bini communicant [76] quibus, cum eas necesse sit ab aliquo subarchetypo repetere, editionis hieronymianae origo et propagatio illustratur. Nam ad ultimos annos saeculi V aut summum ad primos saeculi VI referenda sunt exemplaria e quibus codices Ak et Θ^sd, ea autem ad saeculum VII e quibus ETSU emanarunt.

Cum vero iis exemplaribus antiquissimis lectiones iam sint pleraeque tribuendae, quas in apparatum protulimus, manifestum est editionis vulgatae propagationem non eo stemmate posse depingi, in quo codices ex archetypo velut rami e trunco emanati sic diducerentur ut, mendis et correctionibus eadem ratione ac via multiplicatis, sensim diverterent et separarentur. Librarii enim, codicibus sedulo collatis, lectiones undique sumptas ita commiscuerunt, ut singulae familiae, quarum capita haud mediocriter inter se distabant, propius in dies ad omnes ceteras accederent.

Non quod Hieronymus, sicut nonnulli scriptores, editiones plures vulgaverit, quas ipse correxisset et retractasset. Nihil est enim in eius Commentariis ex quo arbitrari possimus eum suae translationis, etiamsi Commentariorum lemmata hic illic ab ea discrepent, editionem alteram divulgasse, quam ad lemmata accommodasset; neque lectionibus id genus subarchetypi inter se dissentiebant.

Lectiones subarchetyporum nonnullae quidem sunt a recensoribus consulto introductae, quarum specimina adtulimus quae nobis insignia viderentur [77]. Non est tamen quod censeamus subarchetyporum varietates eadem ratione esse exortas, quasi recensores, quas sibi praefixissent regulas eadem semper mente eodemque consilio secuti, de via quam essent initi numquam deflecterent; nam subarchetypi, aut veterum interpretationum ratione dicendi retenta, aut sermone ad grammaticorum praecepta redacto seu ad verba locorum similium adaequato, quisquiliis inter se potissimum distinguebantur.

Quae varietates antiquissimae, cum nec interpreti sint tribuendae nec notariis qui in ipso monasterio bethleemitico verba eius exceperunt et transcripserunt, prius exortae sunt quam est translatio hieronymiana pervulgata et in usum Ecclesiarum conversa. Nam translatione semel recepta ac late diffusa, librarii vix sibi sumere potuerunt, ut lectiones novas

[76] Codices inter se ita binos comparavimus, ut familiae gradatim constituerentur: k-O, A-kO, d-Q, Θ^s-dQ, AO-Θ^sQ, AO-Π^L, Θ^sQ-Π^L...Accidit tamen ut codices plures (ETSU) ex eodem archetypo defluxerint. Accidit etiam ut subarchetypi lectionem difficiliorem unum tantum *ἀπόγραφον* retinuerit; vide subarchetypi ETSU lectiones in scriptorio turonensi aut sangallensi, codicibus sedulo inter se collatis, purificatis, ad grammaticorum regulas exactis, a viris eruditis sagaciter reiectas.

[77] Cf. supra AO p. XXXI-XXXIII, Θ^sQ p. XXXIV-XXXV, AOΘ^sQ p. XXXVII-XXXIX, RY (saepe cum veteribus interpretationibus) p. XL, ETSU (interdum cum *HI*) p. XL-XLVI.

introducerent. Conici ergo licet eas varietates minutiores quibus subarchetypi alii ab aliis distinguebantur tum esse introductas cum interpretatio est ad usum liturgicum adhibita [78], atque eam diversis in Ecclesiis esse receptam potius quam una ex Ecclesia, ut esset romana, diffusam.

Subarchetypis antiquis sic distinctis studium illuminatur quod recensores aetatis carolinae ad editiones Φ et Θ instituendas impenderunt. Ad hanc curandam Theodulfus traditionum maxime curiosus exemplaria suis cum lectionibus propriis, lectionibus tamen codicum Θ superiorum hic illic revocatis, ita sincere expressit (Θ^{s} ex recensione dQ; Θ^{H} ex Δ; Θ^{AM} ex k), ut codices Θ, elegantia nitentes, minime inter se cohaeserint. Ad illam perficiendam Alcuinus artis criticae haud imperitus exemplaria ita sagaciter selegit, recognovit, atque inter se eodem consilio eademque ratione contulit, ut codices Φ, magnificentia praestantiores in dies effecti, artissime sint inter se conexi. Quod studium in codicis T adnotationibus perspicitur, quas recensor ad editionem perpoliendam adiunxit.

Recensores temporum progressu traditiones ita inter se commiscuerunt ut lectiones etiam ab hebraico depromptas (Z^{c}) respuerint et varietates fere omnes limaverint et adaequarint.

---

[78] Editores beuronenses commonefecerunt Vulgatae Novi Testamenti traditionem iam ante Hieronymum defunctum lectionibus veterum latinarum interpretationum contaminatam; cf. B. Fischer, in K. Aland, *Die alten Übersetzungen* (supra, p. xliv, adn. 38), p. 49, adn. 162, et p. 68.

Caput IV
DE QUIBUSDAM LECTIONIBUS DIFFICILIORIBUS

Argumentis internis quae dicuntur simul et externis ars utitur critica; quibus omnibus inter se concinentibus de lectione vera firmiter decernit. Sunt autem lectiones quae, etsi codicibus paucis eisque nonnumquam deterioribus sunt traditae, idcirco verae existimentur, quod cum veritate hebraica, aut Commentariorum lemmate vel expositione, aut denique sermone concordant quo interpres uti solitus est. Quae omnia aliter alibi sunt ponderanda.

In haec cap. IV et V earum dumtaxat lectionum specimina collegimus, quae nobis, cum lectionibus aliis alia argumenta suffragari viderentur, difficultates maiores attulerunt. Iam vero principia ad textum recensendum eo melius discerni poterunt, quo subtilius singula argumenta pensabuntur.

Lectiones mendosas quae, cum in archetypo fuisse videantur, Hieronymi notario sunt tribuendae, in cap. V tractabimus. Nunc vero exempla adferamus

I. quattuor, in quibus lectiones cum hebraico et Commentariis consonantes, paucis vero codicibus traditas, accepimus;

II. octo, in quibus lectiones ab hebraico quidem aliquantulum absonas, sed quae Hieronymi latinum sermonem saperent, discrevimus; quarum una (in Prologo) definitur annus, quo editus est liber Hiezechielis (398), atque Hieronymi cum Rufino commercium mire quam illustratur;

III. quinque, in quibus archetypi lectiones, etsi hebraicum male reddunt, aut grammaticorum regulas infringere videntur, ab interprete oscitante non sunt abiudicandae.

I. De lectionibus cum hebraico consonantibus

Lectiones multis codicibus cum *HI* et 𝔐 concordantibus traditae numerari non possunt, ut apparatum legenti usque quaque apparebit. Cave tamen ne auctoritati hebraicae plus aequo fidas. Sunt enim lectiones quae, cum Hieronymus liberius interpretari sit interdum coactus, hebraicum presse non reddant; neque eae desunt quas, etsi hebraico et Commentariis consentaneas codices quidam, velut ETSU et Ω, communicant, reicere tamen oporteat ut ex Commentariis sumptas. Quibus hae quattuor non sunt adnumerandae.

3, 13 (*vocem alarum animalium percutientium*) *altera ad alteram.* Ita Θ^{s}*Q cum Gregorio Magno [1], M* *HI*(𝔊) cum 𝔊. Quam lectionem locus simillimus *Ez* 21, 14, *percute manu ad manum*, corroborat atque indicat vocem *altera* casu instrumentali esse intelligendam. Quod cum librarii non intellegerent, *alteram ad alteram*, quasi accusativus e verbo *percutere* penderet, plerique scripserunt et lectionem faciliorem, accusativo ad accusativum sequentem attracto, veram esse temere iudicaverunt. Codices melioris notae insolentiores exhibent lectiones: *alter ad alterum* AO, ex haplographia ut videtur, cum masculinum genus [2] in versu nullum inveniatur; quin etiam *alterum ad alteram* CS*, *alterum* ad *animal* referentes, sed genera mire inter se copulantes. Cetera vide in apparatu hoc loco. Animadverte traditionem antiquam Θ^{s}Q cum Gregorio concinentem magni hic faciendam.

1, 1 (*in tricensimo anno*) *in quarto* (*in quinta mensis*). Ita $\Phi\Psi^{D}$, Θ^{sG}Q*, TS, M, Ω^{mj}, *HI* ($^{2}/_{2}$) et 𝔙. *In quarto mense* ceteri cum *GR-M*. Quae sit lectio vera iam Hieronymi sermone indicatur, quo locis similibus usus est. Huiusmodi enim computatio anni mensis diei octies in *Ez* recurrit [3]: 1,1; 8,1; 20,1; 24,1; 29,1; 30,20; 31,1; 32,1. *Mense* bis scripsit interpres cum 𝔙 (24,1; 32,1); subaudito autem *mense* sexies in originali, vocem bis (8,1; 29,1) addidit, quater (20,1; 30,20; 31,1; praeter hunc versum 1,1) reticere non dubitavit, nonnullis codicibus eam toties supplentibus. Quod lectio brevior, initio praesertim prophetiae, difficilior apparuit, id et codicibus plurimis declaratur qui lectionem pleniorem exhibent, et ipsius Hieronymi Commentariis confirmatur. Nam hic Hieronymus praeter consuetudinem editionem suam explicavit et defendit [4]: « quod scriptum est *in quarto* pendente sententia subauditur *mense* » (18-19); quod non solum ad verba hebraica, sed etiam ad interpretationem latinam eamque iam vulgatam referri potest. Lectionis brevioris testes pauci, eoque pauciores quod qui Ω, M, vel iam TS recensuerunt, Commentaria Hieronymi adhibere potuerunt [5]; codices tamen Φ et Θ^{s}Q, siquando lectionem difficiliorem exhibent, non licet parvi pendere, codicibus etiam gravissimae auctoritatis CAO aliisque obstantibus.

23, 42 (*posuerunt armillas in manibus*) *earum* (*et coronas... in capitibus*) *earum.* Ita codex A unus cum 𝔙; *suis... suis HI*; *brachiorum suorum... suis*

---

[1] Cf. supra, p. xxv.

[2] Vox hebraica אִשָּׁה, cum feminini sit generis, Hieronymum forsitan impulerit ut *altera* eligeret, quamquam in hebraico ad *animal* potius refertur. Quod librarios quodammodo percepisse non negaverimus, qui codicum AO et CS lectiones excogitaverunt.

[3] Cf. praeterea 34, 18. 21. 25, ubi annus non memoratur.

[4] Cum vix credatur Rufinum eiusmodi quisquilias oppugnasse, conici licet Hieronymum interpretationem suam potius contra emendationem *in quarto mense* confirmasse ex notariorum vel amicorum retractatione iam exortam.

[5] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. LVII; *XIV*, p. XLIII.

ETS; *brachiorum suorum... earum* U; *eorum... eorum* ceteri. In familiae ETSU lectione vestigia, ut nonnusquam alibi, Commentariorum Hieronymi discernuntur[6], ita tamen ut lectiones variae non ex uno exemplari eoque iam recensito, sed ex adnotationibus marginalibus sumptae sint, quarum altera (*suis*) est in codice U praetermissa; liquet codicis U exemplar eamdem lectionem quam codicem A habuisse.

Hoc capitulo propheta sorores Oollam et Oolibam pariter vituperavit quod fornicatae essent: « *miserunt* ad viros venientes de longe » (v. 40); tum, mutatione grammaticali introducta, adulteram personaliter allocutus est, *lavisti... posuisti* (v. 40-41); deinde amatores commemoravit « qui *veniebant*[7] de deserto » (v. 42). Addidit denique *posuerunt*; quam formam hebraice masculinam esse patet: iam non agitur de illis viris qui venerant de deserto, sed de eis (impersonaliter)[8], qui manus et capita adulterarum (*earum* in 𝔓) ornanda susceperant. Commutatio haec ultima usus personalis cum impersonali, quae in hebraico minime offendit, librariis graecis et latinis difficultatem attulit, praesertim cum nec subiectum verborum, utrum masculini esset generis an feminini, nec pronominis (*αὐτῶν*, *suis*) genus posset dignosci.

Hieronymus in expositione, ubi commentaria quaedam graeca secutus est, subiectum plane expressit: « in tantam exarsistis, o *sorores* pessimae, insaniam... ut *imponeretis*... »; vocem autem *αὐτῶν*, quam apud commentatorem legebat, duobus modis reddidit, ex graeco primum, deinde suo Marte ex hebraico: « manibus et capitibus *amatorum* vestrorum, sive *vobis ipsis* » (1193-95). Item in lemmate « posuerunt in manibus *suis* », genus subiecti femininum licet non expresserit, definivit tamen, reflexivo *suis* usurpato. Eodem fortasse consilio, cum Hiezechielem latine reddidisset, vocem *posuerunt* potius quam *dederunt* elegerat, ne mercedem ab amatoribus datam esse intelligeretur.

Lectio igitur codicis A difficilior, cum hebraicum ad verbum reddat et Hieronymi Commentariis fulciatur, est archetypo vindicanda. Quod non est mirum, cum codex ille optimae sit notae; sed oportet auctoritas quoque familiae ETSU notetur, quae, quamquam Commentariis contaminatur et lectionem conflatam exhibet, e fonte puro liquet vocem *earum* hausisse.

44, 27 (v. 15. *sacerdotes...* 25. *ad mortuum hominem non ingredientur...* 26. *postquam fuerit emundatus...* 27. *in die introitus sui...*) *ut ministret...* (*offeret*). Sic CXΣ^{T}ΔΛ^{L}Π^{L}Φ^{ERG}ΘΨΩ^{J}*f (ut vid.). *Ut ministrent* AΦ^{P}O*RYE*

[6] Cf. adn. 5 supra.

[7] Ita sane Hieronymus in interpretatione vulgata atque in Commentariis.

[8] Verbum ויתנו ad amatores vix referri potest; nam mulieres se ipsae ornari (v. 40) mensamque ad fornicandum ordinare (v. 41), nec quidquam bonum ab amatoribus accepisse toto capite dicuntur. M. Buber, *Bücher der Kündung*, Coloniae, 1966, p. 503, bene interpretatur « *man* gab Spangen ».

TSUΓ^{A}Ω^{MS}k* cum 175. *HI* in lemmate *ministrent* (= lin. 1782, codices *P***K*; *ministrat* P^{2} et editiones [9]) habet; in expositione autem, quae, cum sit primo typica, deinde moralis, Origenem sapit, *ministret* (lin. 1837; cf. lin. 1831 *possit ministrare*).

Denuo, mutato in sermone hebraico verborum numero, librarii in scopulos incurrerunt. Nam in hac altera cap. 44 parte (vers. 15-31), de sacerdotibus filiis Sadoc generatim, in versu autem 26 singillatim de sacerdote qui sit in mortuo homine contaminatus, in versibus denique 28-31 iterum generatim de sacerdotibus actum est. Hoc versu 27, sicut v. 26, verba in 𝔊^{OL} singulariter, in 𝔖 pluraliter sicut v. 28 leguntur. In codicibus nostris de singulari *offeret* non dubitatur; verbum autem ministrandi in 𝔊 modo infinitivo expressum est, de quo cuius sit numeri ita ambigitur, ut latine sive *ministret* sive *ministrent* reddi possit. Lectio *ministrent*, etsi ante verbum *offeret* difficilior, ideo introducta est, quod librarii omnem sacerdotum classem in mente habuerunt, de quibus a v. 15 actum erat, et qui hoc quoque versu 27 verbis *in die introitus sui* commemorari videbantur. Lectio vero *ministret* una est quae, hebraico apte reddito, cum lectione *offeret* concinat. Quae lectio verbis quoque *introitus sui* corroboratur; nam verbum hebraicum בּאוֹ dupliciter legi potest: sive numero plurali, quemadmodum legerunt LXX interpretes; sive modo infinitivo cum pronomine singulari *introitus sui* (sing.), ut Masoretae et Hieronymus recte intellexerunt.

Itaque Hieronymi qui fuerit modus interpretandi hebraico in toto quasi contextu orationis considerato, cum pronomen suffixum sit singulare, agnoscitur. Lectio vero *ministrent* difficilis tot codicibus bonae notae tradita est, ut alicui subarchetypo italico antiquissimo, quin etiam ipsi archetypo, sit vindicanda. Nec mirum si istiusmodi corruptelam multi librarii emendaverunt. Quodsi ipsum archetypum esse corruptum arbitrari malueris, hunc versum iis adde qui, velut 36,5 vel 41,1, infra cap. V perpendentur.

II. De lectionibus cum *HI* consonantibus

Non sunt lectiones omnes ad hebraicum diiudicandae; accidit enim ut Hieronymus de veritate hebraica aliquantulum discederet, quo politior fieret oratio et latinae aures permulcerentur. Ex quo conicere licet eas lectiones esse retinendas quae sermonem puriorem et urbaniorem resipiant; librariis vero eas esse tribuendas, quae temere vel inepte ad grammaticorum normas sint redactae, aut plerumque tritiores locorum similium causa introductae. Quod his octo exemplis declarabitur.

---

[9] Post lemma *Ez* 44, 22-24, F. Glorie codicem *P* secutus adiecit vers. 25-28 (lin. 1708-1727) cum lectione *ministret* (lin. 1715). Quae tamen excogitavit argumenta (lin. 1708) haud satis habent firmitatis ut credatur codici P uni esse confidendum. Praeterea in lemmatibus 44, 17-45, 10 *HI* varietates *HI*(𝔖) hebraico admiscuit (cf. supra, p. xxii); hic contra versus 25-28 secundum interpretationem vulgatam sunt allati.

Primum exemplum Prologus praebet, eo magis insigne quod in Prologis scribendis Hieronymus non eisdem regulis quibus in Scriptura interpretanda se existimabat adstrictum.

In Prologo *Hiezechiel propheta*, ubi nullum praeter traditionem manuscriptam habemus subsidium, duas in difficultates easque graviores, lin. 16 et 17, incurrimus: (*dicite eis quod nemo eos conpellat ut*) *scribant*] *scripta mea legant* $\Pi^{L}AY^{2}Q$; et paulo infra, post vocem contumeliosam *φαγολοίδοροι*, $\Pi^{L}A\Phi OYQ\Psi^{D}\Omega$ addunt *hoc est manducans* (*manducantes* $\Pi^{L}AY$) *senecias*. Indicium tamen habemus satis firmum lectiones varias e voce *φαγολοίδοροι* ambas exortas esse; hanc enim vocem, quae nec ab ullo scriptore graeco usurpatur, nec secundum etymologiae rationem componitur [10], Hieronymus ex Apologia Pamphili a Rufino translata astute repetiit, ut iaculum in se vibratum retorqueret. Haec enim erant verba Rufini [11]: « Aliud quoque est genus hominum, foedum sane et turpe quantum ad probitatem pertinet morum, sed ad calumniandum vehementius et tetrius ad incusandum, quos graeci *φαγολοιδόρους* appellarunt ». Vox ergo *φαγολοίδοροι* eadem significatione activa et, ut ita dicamus, mordaci [12], qua in Apologia, est intelligenda, « genus hominum ad calumniandum vehemens ». Constat igitur interpretationem quasi passivam « manducans convicia » cuidam librario esse tribuendam, qui Pamphili Apologiam in animo non haberet. Accedit quod Hieronymus, si quos flores atticos ad sermonem ornandum sparsit, interpretationibus temperare urbanus consuevit [13]; quod formula « hoc est » eius sermonem non resipit [14]; quod codices qui additamentum habent inter se discrepant, cum alii *manducans*, sicut adnotationi in margine adscriptae convenit, praebeant, alii vero *manducantes* ad verborum consecutionem numero plurali accommodaverint; quod glossema *seneciae*, omnino inauditum, intelligi non potest [15]; quod denique telum graecanicum adversus Rufinum ita retortum plus habet in cauda veneni.

---

[10] Secundum analogiam *ἀνθρωποφάγου* vel *σαρκοφάγου* componuntur voces a *φαγείν* derivatae.

[11] PG 17, 547A. Hieronymus, si forte se his verbis offensum arbitratus est, quae Rufinus adiunxit sine dubio aegre tulit: « Qui summum studium... libris eius (Origenis) dederunt, ita ut et magistro eo in omnibus uterentur... Sed ubi ad id loci ventum est, ut iam se magistros malint quam discipulos nominari, ... alienum esse Origenem continuo protestantur, nihil sibi cum ipsius doctrina commune esse confirmant ».

[12] Vir doctissimus I. Martianay, Apologiam Pamphili commemorans (PL 28, 939B), *φαγολοίδορον* cum syriaco ܐܟܠ ܩܪܨܐ (*calumniatore, diabolo*; ad verbum *manducante carnem*) acute contulit.

[13] Voces contra hebraicas et graecas latine reddidit, quoties eas e textu biblico repetiit.

[14] Prologis biblicis epistulisque omnibus perlustratis, *id est, quod interpretatur*, aut *quem nos dicimus, qui appellatur*, et similia repperimus.

[15] Cf. A. Vaccari, *Senecia* (Archivum Latinitatis Medii Aevi XVI, 1941, 155-160), qui glossam *hoc est — seneciam* excludit, eamque crucem fuisse interpretum a Guillelmi Britanni tem-

Eodem modo, mendum « ut scripta mea legant » (lin. 16) ex interpretatione passiva *φαγολοιδόρου* exortum est; nam Hieronymus Rufinum vituperabat, non quod scripta sua non legeret, sed quod libellum Pamphili divulgasset, atque Origenis *Περὶ ἀρχῶν* Romanis tradere instituisset. Ceterum, lectio $A\Pi^{L}$ adeo liquida videbatur, ut, si vera esset, vix dubitari potest quin codices eam retinuissent. Neutra emendatio lin. 16 nec lin. 17 casu accidit, sed eruditae cuiusdam recensionis specimen habendum est.

Uno tantum loco codices de vocabulo ab interprete usurpato inter se dissentiunt.

6,13 (*in medio idolorum vestrorum in circuitu ararum vestrarum... subtus omne lignum nemorosum...*) *lucum* (*ubi accenderunt tura*). Sic $X\Delta^{L}\Pi^{L}AO\Theta^{HAMG}$; *locum* ceteri codices cum 𝔓𝔊^{O} (מקום, *τόπον*). Hic lectionem habes quae, cum codicibus et hebraico niteretur, eligenda videbatur, eoque praeoptanda quod vox אשרה nusquam voce *lucus* non redditur. Sed vox *lucus* cum rarius occurrat ita facile corrumpitur, ut mendum *locus* saepissime (cf. *III Rg* 15,13; *II Par* 15,16; etiam *Ex* 34,13; *Dt* 7,5; *Iud* 6,28; *IV Rg* 18,4; *Ier* 17,2; etc.), *lucus* contra pro *locus* perraro irrepserit (cf. tamen *Is* 22,23 cod. Q). Quis post aras et lignum nemorosum vocem *lucum* apte et eleganter inseruerit, utrum Hieronymus ipse an quidam librarius, vix ambigitur.

Commentariorum quidem lemma *locum* exhibere videtur (codd. $PR^{A}W$ et editiones); sed in expositione Hieronymus scripsit « inter ipsa idolorum altaria *lucosque* qui appellantur ligna nemorosa ». Hic *lucosque* $R^{A2}W$ et editiones omnes; *locusque* P^{*}, *locosque* $P^{2}R^{A*}$; amanuenses ergo in solitum errorem denuo lapsos deprehendimus, qua corruptela Hieronymi stilus est hebetatus et sermo depravatus, qui ubique *loca* numero plurali secundum grammaticorum leges scripsit.

Quae cum ita sint, lectionem subtiliorem et luculentiorem Hieronymo tribuendam censuimus. Neque fortuito accidit ut vox *locus* hebraico consentanea, cum eam Hieronymus in animo prius habuisset quam sibi *lucum* decerneret scribendum, in plerisque translationis Vulgatae codicibus recuperaretur. Si quis dixerit interpretem *locum* et in Vulgata et in lemmate, *lucum* autem et in expositione, et fortasse, ut infra [16] ad 36,5 dicetur, in quodam Prophetarum exemplari serius divulgato scribere potuisse, obiciemus emendationes quas Stridonensis sua in expositione introduxit, in codices $X\Delta\Pi AO\Theta$ numquam transiisse.

Iam specimina afferamus lectionum minutiorum, quae nec ad interpretationem nec ad vocabulorum delectum, sed ad syntaxin pertinent.

---

poribus (circ. 1250) ostendit. Quod si negaveris ullum librarium *senecias* effingere potuisse, ecquidnam absurdum ipsi tribues Hieronymo?

[16] Cf. infra cap. V, p. LXXIX.

Nam in sermone hebraico particulae multiplicantur nominibus adiunctae (velut *in*, *eius*), praesertim ubi nomina iterantur; a quibus in latinitate aurea libentius temperatur. Librarii autem inferioris aetatis, cum Hieronymus ipse priorum interpretum usum secutus praepositiones vocesque possessivas exprimere plerumque non dubitasset, ab illa antiqua temperantia declinare consueverunt. Itaque siquando Hieronymus aliquid concessit orationis elegantiae, particulas ultro addiderunt. Cf. exempli causa *Lv* 20,25 *in pecore et in avibus et cunctis...*; *Ez* 16,22 *post omnes abominationes tuas et fornicationes*; 24,21 *filii vestri et filiae*; quibus locis nonnullis in codicibus particula aut vox possessiva addita est.

35,8 (*in collibus tuis et in vallibus tuis*) *atque torrentibus*. Ita quattuor tantum codices CΔ^{L}Λ^{L}M, cum *HI* in lemmate (codd. *PKRV* et editiones); *atque in torrentibus* ceteri. Particula omissa, *torrentes* cum *vallibus* artius coniunguntur; quod non est absurdum, praesertim cum valles collibus opponantur. Voce autem possessiva *tuis* nullis in codicibus iterata, confirmatur lectio vera.

37,23 (*in idolis suis*) *et abominationibus* (*et in cunctis iniquitatibus suis*). Ita XΔ^{L}Λ^{L}ΦΘ^{SH}*ETSQΓ^{A} cum *HI* et *AU ci*; ceteri codices *et abominationibus suis*, cum 𝔓 et compluribus codicibus graecis. Augustinus, *De civitate Dei* XVIII, 34, testis antiquissimus, Hiezechielis oracula (34,23-24 et 37,22-24) ad verbum exscripsit, et ea quidem secundum interpretationem Hieronymi. Conicere licet familias CΣ^{T}Δ^{M} et Π^{L}AOΘ^{AM} eumdem in errorem separatim incidisse, earumque lectionem ad archetypum non esse referendam. Hic quoque, particula *in* omnibus in codicibus omissa, *abominationes* cum *idolis* ita conexae sunt, ut quidquid colebant nationes pariter exprimeretur. Etenim quibus in codicibus cola et commata distinguuntur, verbis *et in cunctis* incipit stichus novus.

20,18 *idolis* (*polluamini*). Sic Σ^{T}Λ^{L}*E*T*U*Ω^{M}i cum *HI* (cod. P^{1} et editiones); *in idolis* ceteri cum *HI* (codd. $P^{\dagger}$, ut vid., et R^{A}, Rabanus) et 𝔓𝔊. Hieronymus in translatione Vulgata, cum particulam hebraicam ב redderet, *polluor in* scribere solitus est; praepositioni tamen parcuit aliquando, non solum ubicumque hebraicum ad verbum non reddidit et sermone latino puriore usus est (cf. *Lv* 5,3; 15,32; *Nm* 19,18; *Dt* 23,10; *Ios* 7,12; *Lm* 1,17), sed etiam, etsi multo rarius, ubi verba hebraica accurate expressit (*Ez* 23,17; *Is* 59,3; *Lm* 4,14). Lectioni breviori codices diversi, cum quibus *HI* concinit, suffragantur; particula autem locorum similium causa facile addita est, ut patet ex emendationibus codicum Λ^{L}*E*T*U*; cf. Commentariorum quoque codices $P^{\dagger}R^{A}$.

Ultima specimina ad verborum spectant declinationem. Verbis hebraicis formas multo pauciores habentibus quam graeca et latina, adducti sunt interpretes ut paucis ipsi et temporibus et modis uterentur; qua rursus inopia librarii inferioris aetatis adsueti perfectum, usitatissimum illud tempus, eo etiam introduxerunt ubi Hieronymus consecutionis tem-

porum leges custodierat. Non quod tempus perfectum sit ubique reiciendum; nam accidit ex contrario ut quidam amanuenses, cum non penitus intelligerent quod Hieronymus expresserat, eius sermonem ad regulas Donati censerent exigendum ac limandum. His tribus locis eo difficilius est de lectione vera decernere, quod interpres per sententiam relativam multa et varia significare potuit, quae in hebraico non exprimuntur; quod de forma *ministraverint* ambigitur [17] sitne perfectum modi subiunctivi an futurum exactum; quod denique lemma *HI* lectionem habere videtur quae paucis codicibus nostris est tradita.

44,19 (*exuent se vestimentis in quibus*) *ministraverint*. Ita Λ^{L}* et f soli; ceteri autem inter se dissentiunt, codicibus AO cum aliis nonnullis *ministraverunt* scribentibus, CΦS* aliisque cum *HI ministraverant*. Codicem f antiquissimum maximi fecimus, praesertim cum codices alii aliud testarentur. Ceterum, subiunctivus modus apposite usurpatus videtur, cum propheta hoc versu inter ministerium in templo exactum et vestimentorum depositionem lineorum, quae ad hoc ministerium servarentur, causalitatis nexum potius quam temporis exprimere intenderit; vide quoque Hieronymi expositionem (lin. 1544-1549). Quae intentio scribas fugit, qui utramque lectionem variam introduxerunt.

11,16 (*ero eis in sanctificationem... in terris ad quas*) *venerunt*. Ita plurimi codices; *venerint* $C\Sigma^{T}$ cum *HI* in lemmate; ex expositione nihil utile eruitur. Lectionem $C\Sigma^{T}$ accipere non ausi sumus; nam hi codices unius eiusdemque stirpis saepius ad artis grammaticae normas sunt directi, quam ut eorum cum *HI* concordantia fortuita esse videretur. Itaque Hieronymus, ut temporum consecutio observaretur, futurum exactum polite in lemma introduxit, cum in ipsa translatione perfectum hebraicum ad verbum, nisi fallimur, reddidisset; nam lectionem elegantiorem codices nostri fere omnes haud facile respuissent.

32,22 (*omnes interfecti et*) *qui ceciderunt* (*gladio*). Ita plurimi codices cum *HI* (*PKRV* editiones); *qui ceciderint* $C\Lambda^{L}\Pi^{L}OY\Psi^{D}$. In expositione legitur (lin. 859) « qui omnes vulnerati — vel interfecti — sunt gladio, et ideo corruerunt ». Idem participium hebraicum repetitur vv. 23 et 24 (cf. 26), ubi *cadentesque gladio*, *ruentesque gladio*, *et cadentes gladio* est redditum. Quae omnia participia, cum in hebraico sine copula ad *interfecti* apposita substantivorum vicem, ut ita dicamus, obtinerent, Hieronymus cum *interfecti* sic copulavit, ut consecutio temporum non servaretur. Non dubitavit tamen v. 21 perfecta *qui descenderunt et dormierunt* usurpare. In huiusmodi participiorum serie, non erat cur futurum exactum contra Commentaria

---

[17] Iure suspicatur ipsos scriptores latinos has formas vix inter se distinxisse; cf. F. Sommer, *Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre*, Heidelbergae ³1913, § 364; A. Ernout-F. Thomas, *Syntaxe latine*, Lutetiae Parisiorum ²1953, § 268; J. B. Hofmann-A. Szantyr, *Lateinische Syntax und Stilistik*, Monachi 1965, p. 323, § 180.

eligeremus, etsi libenter fatemur hanc lectionem codicibus non paucis iisque diversis traditam fuisse fortasse retinendam.

III. De lectionibus interpreti aberranti tribuendis

Restat ut lectiones quinque difficillimae proponantur, quas, cum archetypum emendare nequiremus, ad Hieronymum censuimus referendas, sive hebraicum perperam intellexit aut imperite transtulit, sive contra latini sermonis, quod sciamus, integritatem peccavit. Lectiones vero alias, quas alii librarii ad textum sanandum introduxerunt reicere oportet.

37,16 ... *sume tibi lignum unum*
et scribe super illud
iudae et filiorum israhel sociis eius
et tolle lignum alterum
et scribe super eum
ioseph lignum ephraim et cunctae domui israhel sociorumque eius.

Nominibus propriis declinatione carentibus, verborum occultatur consecutio, etsi ל particula in 𝔓 *iudae* et *ioseph* praemissa dativus attributionis potius quam genitivus exposcitur. Verba tamen quae cum his nominibus copulantur inconcinno *χιασμῷ* opponuntur[18]: nam *filiorum* ad *domui*, *sociis* ad *sociorum*, genitivus ad dativum respondet. Verum membra *iudae — sociis eius* et *ioseph — sociorumque eius* ita sunt inter se parallela, ut verba *lignum ephraim* inmissa esse videantur in oraculum hebraicum et, ut ita dicamus, inter uncinos inclusa.

Quae cum ita sint, non mirum si offenderunt testes alioqui graves[19]: ante *sociis* posuerunt *et*, et scripserunt *domus* (*israhel*) XAΦ^{F}OΘRYM^{s}QΓ^{A}; *et* addidit quoque Ψ^{D}, ac *domus* scripserunt Δ^{L}Π^{L}Φ^{ERG}ETUΩ. In *HI* legitur *sociis* sine *et*[20], sed inter *domui* et *domus* codices Commentariorum fluctuantur[21]. Lectio *et sociis* aliquanto facilior est, nec habet quidquam in 𝔓 quo nitatur[22]; lectio vero *domui* multo difficilior, cum ante *israhel* compendiose scriptum (*sr̄hl*) esset posita, sic labi potuit: *domuisr̄hl*[23] *domu isr̄hl* *domus israhel*. Quem progressum, propter *s* litteram in exitu *domus* scriptam, haud expedite inverteris[24].

---

[18] Optime notavit Guillelmus de Mara suo in Correctorio: « quod dicitur *ioseph* in hebraeo dativi casus est, et sicut genitivis iungebat dativum, sic dativo iungit genitivos ».

[19] Praeterea multi codices *illud* pro *eum* habent, cf. p. LXXII.

[20] Praeter unum codicem vaticanum *R*.

[21] In lemmate, lin. 1190, F. Glorie ex coniectura *domus* scripsit, addiditque in apparatu: « domuis (i *sup. lin. ut vid. 1 m. K*) *archaeo genitivo 1 m. PK*, cunctae domui *Hraban. cum Vulg.*, omnis domus *Martianay Vallarsi* ». Codices vaticani *RV*: *et domui israhel*.

[22] Idem dicendum de particula *-que* ad *sociorum* adiuncta.

[23] Quo ex compendio scriptura quoque *domuis* in codicibus *PK*^{2} Commentariorum *HI* (cf. supra adn. 21) plane intelligitur.

[24] Hoc utique in libro *domui* (*israhel*) in *domus* persaepe corrumpitur, cf. ad 28, 24, p. LXXVIII.

Lectionibus facilioribus reiectis, vicissitudines *iudae... filiorum... sociis*, atque *ioseph... ephraim... domui... sociorumque* ad archetypum referri oportet. Glorie autem ad Hieronymi lemma explanandum haec finxit: « recte pulchreque hic *sociis* adiectivum ablativo absoluto legunt codd., cum tantum pars Israel quasi fortuito socia fuerat Iudae ac Beniamin, et *sociorum* legunt infra pro maxima parte vel *cuncta* domo Israel quae iungitur Ioseph. Nil dubium itaque quin hic *sociis* istic *sociorum* genuinum sit [25] ».

Ibidem 37, 16 (*lignum alterum*) *et scribe super eum.* Quem lapsum cum Hieronymus animadverteret, verba quae initio versiculi usurpaverat in Commentariorum lemmate repetivit: *et scribe super illud.* Item $\Lambda^{L}\Phi^{P}$RYE TSU$\Psi^{D}\Omega$, sive sunt librarii Commentaria secuti, sive mendum sua sponte tollere conati. Iam Hieronymus dormitans pronomen masculinum pro neutro alibi usurpavit, ut *Nm* 13, 31 *Chaleb conpescens*) *murmur populi qui oriebatur contra Mosen* [25a]; *II Par* 34, 31 *in volumine illo quem legerat.*

Item *Ez* 42, 4 (*gazophylacia ... ostia*) *earum*, ita *HI* quoque in lemmate (lin. 52 et 207); $\Pi^{L}\Theta^{H*}\Gamma^{A}$ *eorum.* Hoc de errore Hieronymus se in expositione excusare contendit, quod vox graeca *ἐξέδραι*, quam in *Ἐξαπλοῖς* legerat, sibi in mentem venisset (lin. 212-214): « quod iungitur *ostia earum* subauditur *exedrarum* sive *gazophylaciorum* ».

Contigit ut archetypi lectionem, etsi difficiliorem quam ut eam apte enodare possemus, edendam tamen statueremus.

36,36. In fine oraculi v. 16 sqq., post *scient gentes... quia ego dominus aedificavi*, sequitur iusiurandum *ego dominus locutus sum et fecerim.* Ita codices complures. Lectionem faciliorem *feci* introduxerunt $\Delta\Theta^{SA}$Q. *HI* in lemmate *locutus sim et fecerim* [26], ita quoque $\Lambda^{L}\Phi^{P}$ETΩ^{J1}, fortasse ex *HI.* Cui lectioni expositio quodam modo suffragatur, quamquam in ea effatum oblique exprimitur: « ita ut omnis creatura cognoscat... quod dominus aedificaverit... et quod pollicitus fuerit (cf. *locutus sim*) opere compleverit (cf. *fecerim*) » (lin. 887-889); et « ut sciant omnes... quod dominus aedificaverit... et ipse rebus praestiterit (cf. *fecerim*) qui sermone promisit (cf. *locutus sum*) » (lin. 959-962).

---

[25] *Corpus Christianorum* LXXV, p. 517.

[25a] Hebraicum coartatum את־העם אל־משה Hieronymus dilatavit atque his verbis explicavit: *murmur, qui oriebatur.* Haud dubium est quin sit *oriebatur* ad *murmur* referendum, velut paulo supra *Nm* 11, 1 *ortum est murmur populi* ויהי העם; *Ex* 12, 30 *ortus est clamor*; alibi saepius. Verisimile est genus pronominis (*qui*) potius hebraico העם esse tribuendum, quam generis immutationi nominis (TLL VIII, 1675, 27-31), quamquam bis occurrit in Novo Testamento: *Io* 7, 12 *murmur multus*; *Act* 6, 1 *factus est murmur.* Nam *murmur* neutrum omnibus aliis Veteris Testamenti locis scripsit Hieronymus; libros autem Novi Testamenti aut cursim aut omnino non recognovit.

[26] Ita codices quoque vaticani *RV** Commentariorum; *sum* et *faciam* V^{2}.

Modorum discrepantia *locutus sum... fecerim* referri potest ad notam ך conversam, quae dicitur; idem effatum translatum est 22,24 *ego dominus locutus sum et faciam*; cf. etiam 24,14.

Lectio *ego dominus locutus sum*, quae novies locis similibus invenitur, facile quidem irrepere, lectio tamen *locutus sim* facile quoque verbis *et fecerim* praeponi poterat, ut patet ex correctione amanuensis Ω^{1} qui, traditione Ω reiecta, ex *su* rescripsit *sim*.

Neutram lectionem, cum modus subiunctivus *fecerim* cur adhibitus sit non liqueat, subtilius explicare valemus.

42,13 (*vescuntur sacerdotes qui adpropinquant ad dominum*) *in sancta sanctorum*. Ita codices omnes, praeter Ok*, in quibus, praepositione *in* omissa, *sancta sanctorum* cum *vescuntur* conectenda sunt et de oblationibus intelligenda. Quae verborum consecutio ad hebraicam proxime accedit, ac significationi congruit quam *sancta sanctorum* habent in membro quod subsequitur *ibi ponent sancta sanctorum et oblationem pro peccato*; sed haud verisimile est Hieronymum *vesci* cum accusativo pro *comedere* usurpasse (cf. tamen *Lv* 14,4). Ceterum *HI* in lemmate et in expositione *in* habet: « qui accedunt ad dominum, et non in quolibet loco, sed *in sancto* (*sancta* Glorie cum cod. *P*) *sanctorum* [27] ». Codici ergo k* fides non est tribuenda, nisi coniciatur aliquod exemplar incorruptum prius esse vulgatum, quam Hieronymus exemplar aliud idque mendosum commentaretur. Cum amanuenses epistulam ad Hebraeos 9,3, « secundum tabernaculum quod dicitur *sancta sanctorum* » cognoscerent omnes, haud mirum lectionem (*qui adpropinquant ad dominum*) *in sancta sanctorum* iam in ipsius Hieronymi codicem irrepsisse, et mendum plerosque in codices atque eosdem optimos esse diffusum. Lectionem breviorem accepissemus, nisi notassemus Hieronymum verbo *vesci* pro *comedere* hoc loco vix uti potuisse.

---

[27] Cf. apparatum criticum editionis a F. Glorie curatae; codice *P* corrupto, editio vallarsiana codicibus vaticanis $R^{A}W$ nititur.

Caput V
DE ARCHETYPI AUCTORITATE

Cum in voluminis XIII Prolegomenis codices corporis prophetici et eorum inter se necessitudines tractaremus, fieri non potuit quin de capite et origine traditionis nonnihil diceremus[1]; accidit enim ut codicibus in familias redactis lectiones commendarentur, quae, cum hebraico et Hieronymi ratione interpretandi etsi omnino non concordarent, eis tamen adeo essent vicinae, ut emendatione levissima adhibita cum eis concinerent. Quae emendationes iam in codicibus aut editionibus nonnumquam inveniuntur, sed ex coniectura videntur factae potius quam ulla codicum auctoritate suffultae.

Lectionem archetypi ab ea quam scriptor in mente habuit distinguendam statuit H. Quentin[2]. Itaque quoties ab archetypo censuit esse declinandum, emendationem crucibus signavit ut, sicubi Hieronymus aut liberius esset interpretatus aut aliter legisset, codicum lectiones, quanti essent faciendae, existimarentur et emendationes potiores liceret excogitare. Quae ratio critica experientia magis in dies est probata, tametsi illud exemplar archetypum tantum postulatur, nec quisquam unde sit profectum atque quo tempore divulgatum potest definire. Nec tamen desunt qui aegre concedant translationis Vulgatae codices ex uno exemplari eodemque recentiore, ceteris exemplaribus hieronymianis sine propagine relictis, omnes esse defluxos.

Adest nobis in corpore prophetico recensendo ipse Hieronymus suis Commentariis, testis gravissimus et, ut ita dicamus, terminus antiquissimus ad quem referatur. Discrepant tamen nonnumquam Commentaria a translationis archetypo, sive interpres, ut saepe accidit, sese retractavit, sive ipsa Commentariorum traditio corrupta est, sive denique archetypum Vulgatae mendosum; qui errores utrum in archetypum post Commentaria confecta irrepserint an ante, simul ac notarius verba Hieronymi dictantis in tabulas exceperit vel in schedulas transcripserit, tum diiudicare possumus si quod mendum Commentaria et archetypus communicant.

Huiusmodi errores in Isaiae prophetia nobis occurrerunt[3], velut 13,11 (*visitabo super*) † *orbem* † (*mala*) cum 𝔓; *orbis* archetypum cum *HI*.

---

[1] *Biblia Sacra XIII*, p. XXII et LXIII-LXIV.

[2] H. Quentin, *Mémoire sur l'établissement du texte de la Vulgate* (Collectanea Biblica Latina 6), Romae 1922, p. 489; Id., *Essais de critique textuelle*, Lutetiae Parisiorum 1926, p. 37, 42, 99-100, 108; Id., *Revue des Etudes Latines* 5, 1927, p. 91.

[3] Cf. *Biblia Sacra XIII*, p. LXIV.

53,11 (*iustificabit ipse iustus*) † *servus meus* † (*multos*), cum paucis codicibus et 𝔓; *servos meos* archetypum et *HI*, ut videtur. 66,12 † *ad ubera* † (*portabimini*) cum nonnullis codicibus et 𝔓; *ab ubera* archetypum corruptum; *ab ubere HI*. Et praecipue 40,2 (*completa est*) † *militia*[4] † (*eius*) cum 𝔓 (צבא); *malitia* codices omnes atque *HI*[5], quae lectio facilior ex eodem exemplari manifeste corrupto emanat. Hieronymus exemplaris menda saepe sane, quippe cum inter alia subsidia Hexaplis perpetuo uteretur, deprehendit et correxit; fieri tamen non potuit quin eum nonnulla fugerent.

In Hieremiae autem prophetia, cuius Hieronymus aetate iam provectus priorem tantum partem (*Ier* 1-32) explanare valuit, nullum archetypi invenimus mendum, quod in Commentariis repetitum videretur atque confirmatum. De quibusdam tamen lectionibus difficilioribus disseruimus in cap. IV Praefationis, p. XXVII-XXVIII.

Libro Hiezechielis recensito, archetypi menda quindecim, ex quibus quinque Hieronymus ipse in Commentariis retinuit, numerantur. Fatemur tamen harum lectionum nonnullas, quae nobis mendosae visae sunt, alios aliter perpendere posse. Fieri enim potest ut Hieronymus, cum Hiezechielem latine redderet, 1,2 *ioiachim*; 16,10 *hyacinthino*; 16,39 *plenam ignominiam*; 47,16 et 48,22 *in terminum* revera scripserit neque sit archetypum emendandum.

I. De mendis quae *HI* non communicat

Hi sunt loci ubi, translationis Vulgatae archetypo et *HI* inter se discrepantibus, Commentaria ad archetypum emendandum adhibuimus.

1,2 † *ioiachin* †. Hanc scripturam, ut quae consonantes hebraicas accurate exprimeret, ex *HI* cum in lemmate tum in expositione (lin. 41): « ioiachin id est iechonias », restituimus. Codices complures scripserunt *ioachim* cum 𝔊; verum, cum $\Sigma^{T}\Lambda^{L}$ *ioachin*, A* *ioiachim* habeant, quae fuerit archetypi scriptura non liquet. Lectio codicis A *ioiac-* archetypi fuisse videretur, nisi hoc in codice iam decies occurrisset[6], quasi istius regis nomen esset diligenter retractatum. Librarii prope omnes a scrip-

---

[4] Lectionem *malitia* edidimus; postea vero in Prolegomenis, p. LXII, quae esset vera lectio agnovimus.

[5] In lemmate; in expositione autem vox non repetitur. Si Hieronymus vocem *militia* elegisset, eam explanare non praetermisisset, cum egeret declaratione, ut tempus servitutis intelligeretur (cf. *Iob* 7, 1: *militia* [צבא] *est vita hominis super terram*).

[6] In libris Regum, ubi duo reges *ioiachim* et *ioiachin* vix confundi possunt, *ioiachin* sexies edidimus cum $A\Theta^{AMG}$, praeter *IV Rg* 24, 15, ubi A *ioiachim* scripsit; in hoc libro quarto partim adest codex antiquissimus R, qui $^{4}/_{4}$ *ioiachim* priore manu, $^{3}/_{4}$ *ioiachin* altera manu exhibet. *II Par* 36, 8 et 9, *ioachim* A solus scripsit, *ioachin* vero, fortasse male, cum codicibus pluribus edidimus. *Ier* 52, 31 bis in versu, *ioiachim* iterum A solus, unde † *ioiachin* † restituimus.

tura insolenti *ioiac-* videntur abhorruisse [7]; si quid de regum serie cogitaverunt, patrem et filium exitu *-im* et *-in* inter se distinguere studuerunt. Ceterum haud affirmaverimus Hieronymum haec nomina inter se semper attente distinxisse [8].

16,10 † *ianthino* †. Ita Δ^{m}R*Y; plerique codices *hyacinthino*, cum archetypo ut videtur. Hieronymus duas voces in lemmate posuit (l. 1150): « [𝔍] *ianthino* [9]; LXX *hyacintho* [10] ». Quam distinctionem fusius explanavit in expositione: « Aquila et Symmachus *ianthina*, Septuaginta et Theodotio *hyacinthina* transtulerunt, pro quo in hebraeo scriptum est *thas* ». Deinde elucubrationes spirituales a quodam graeco fonte haustas secutus, cum bis *ὑακίνθινα* recitaret, toties « sive *ἰάνθινα* » (ll. 1155, 1170) adiunxit.

Color ianthinus perraro apud scriptores latinos distincte notatur [11]. Vox deest et in Vetere interpretatione latina et in LXX, ubi voce *ὑακίνθ(ιν)ον* redduntur pariter תכלת et תחש; introducta est tamen ad vocem תחש reddendam ab Aquila et Symmacho, quos Hieronymus in Pentateucho assidue secutus est. Sed librarii vocem *(h)ianthinam* insolentem, quasi mendum esset orthographicum, corrigere conati *hyacinthinam* ex Vetere Latina plerumque repetierunt [12]. Fortasse arbitraberis Hieronymum, cum Hiezechielem ante annum 398 latine redderet, distinctionem ab Aquila factam neglexisse, eamque postea sua in Commentaria introduxisse; verisimilius est tamen errorem sive in codices fere omnes, sive potius in archetypum facillime irrepsisse; nam in Commentariis *ianthinus* ita praeoptatur, ut nihil indicet interpretationem novam esse introductam.

16,13 (*vestita es bysso et polymito et*) † *multicoloribus* †. Ita *HI* in lemmate; codices Hiezechielis omnes *multis coloribus*. Eadem vox רקמה infra (v. 18) *multicoloria* redditur; supra autem (v. 10) *discoloribus*, sicut et in expositione huius v. 13 (lin. 1328); in lemmate v. 13 secundum 𝔊 (lin. 1321) *versicoloribus* (*ποικίλα*). Lectio facilior *multis coloribus*, quae vocem

---

[7] Nomina propria quae in *ioia-* incipiunt sunt in codicibus interpretationis LXX plerumque *ιωα-* transcripta; sicubi accuratius transcripta sunt (id est: *ιωιαδα*, *ιωιαδαε*, *ιωιαριβ*, *ιωιας*, facillime corrumpuntur.

[8] *In Matthaeum* I, 1, 12 (ed. M. Adriaen, Corp. Christ. LXXVII, 1959, p. 9) hos reges saepe confusos esse admonuit: « Sciamus ergo Iechoniam priorem ipsum esse quem et Ioiacim, secundum autem filium non patrem; quorum prior per *κ* et *μ*, et sequens per *χ* et *ν* scribitur; quod scriptorum vitio et longitudine temporum apud graecos et latinos confusum est ». Liquet tamen Hieronymum, cum Evangelium explanaret, nomina graeca in mente habuisse.

[9] Ita Commentariorum codex *P** et editiones; *iacinthino* P^{2} cum Rabano.

[10] Ita *P* et editiones; *iacinthino* commemorat Vallarsi ex quibusdam codicibus, cf. expositionem quae *hyacinthina* LXX interpretibus attribuit (lin. 1151-1152); 𝔊 *ὑάκινθον*.

[11] Bis apud Plinium nominatur, semel apud Martialem Ulpianum Vopiscum.

[12] Cf. *Biblia Sacra IV*, 1939, *Orthographica totius Octateuchi*, p. 435.

hebraicam non tam accurate exprimit, aliena est ab hac compositorum serie.

28,24 (*non erit ultra*) † *domui* † (*israhel offendiculum*). Ita *HI* in lemmate et Ω; ceteri codices *domus*. De ista confusione ex dativo *domuisr̃hl* orta iam p. LXXI diximus. Dativus hic restituendus est cum hebraico ל.

33,21 (*in duodecimo anno in*) † *decimo* † (*mense*). Ita *HI* (3/3) et 𝔊𝔖^{O} cum Ω; *duodecimo* ceteri codices cum 𝔖, quae archetypi lectio vi Veteris interpretationis latinae et fortasse ex nota *X* post notam *XII* annorum posita facile exorta est. Cum *decimo* Commentariis constanter, et iam recensione Origenis hexaplari tradatur, vix conici potest Hieronymum in exemplari hebraico quo utebatur *duodecimo* legisse.

41,1 (*sex cubitos latitudinis hinc et sex cubitos*) † *latitudinis* † (*inde*). Ita *HI* cum 𝔊𝔖 et $\Sigma^{T}\Delta\Phi^{RGP}O\Theta^{S}\Omega^{J}$; *latitudo* Ω^{S}; *altitudinis* reliqui. Lectionem veram sine dubitatione restituimus. Archetypum autem, quamquam lectionem probam codices nonnulli exhibent, corruptum tamen arbitrati sumus; nam librarii, ratione mensurarum pari vocibus *hinc* et *inde* significata, mendum *altitudinis* facillime corrigere potuerunt.

41,3 (*portam*) † *sex* † (*cubitorum*). Ita *HI* et 𝔊𝔖 cum $E^{*}S\Omega^{MJ}$; *decem* ceteri, ex v. 2 *latitudo portae decem cubitorum*. Fortasse numerorum notae, manu cursiva scriptae, sunt inter se confusae, cf. supra, 33,21.

47,15 † *hethalon* † restituimus cum *HI* (*ethalon* lin. 1297, 1335, 1346), 𝔊 et Ω^{M}; *bethalon*, non sine aliqua varietate orthographica, reliqui; aliter LXX. Archetypum sine dubio corruptum est. Hoc nomen nusquam legitur, nisi 48,1, ubi *aethlon* scripsimus cum archetypo et *HI* (*ethlon* codices omnes lin. 1510 et 1527). Quae Hieronymi fuerit ratio ה scribendi etsi non liquet, similitudo *b* litterae cum *h* intercedere potuit.

II. De Hieronymi notario peccante

Loci autem ubi exemplaris translationis Vulgatae corrupti vestigia in Commentariis agnoscuntur hi sunt:

32,10 (*reges... obstupescent... pro anima sua in die ruinae*) † *tuae* †. Ita 𝔊𝔖 et *HI*(𝔖); *suae* omnes codices cum *HI* in lemmate (codd. *PKR*^{A} Rabanus Glorie; *tuae* Martianay; om. *V* Vallarsi). In expositione autem Hieronymus lectionem *HI*(𝔖) *tuae* in animo habuit: « in *tua* ruina ruinam similem pertimescunt » (lin. 462), et iterum: « ut obstupescentes super *ruina Pharaonis*, se in illo videant esse deiectos » (lin. 619). Lectio *suae* quattuor modis potest explicari: nam Hieronymus aut hebraicum aliter legit, aut hebraicum etsi liquidum male intellexit, aut a veritate hebraica con-

sulto declinavit, aut verisimilius *tuae* recte dictavit, notario verbis *pro anima sua* decepto *suae* perperam excipiente vel in schedulas transcribente.

44,30 (*primitiva... dabitis sacerdoti ut reponat benedictionem domui*) † *tuae* †. Ita 𝔓, ubi secunda persona singularis secundam pluralem *dabitis* subsequitur; *suae* omnes codices cum *HI* ($^3/_3$). Hebraicam asperitatem LXX interpretes complanarunt *ὑμῶν* vertendo. Patet hoc loco Hieronymum exemplari latino mendoso esse confisum, idque non solum bis in lemmate (lin. 1725 et 1857) sed etiam in expositione: « ut reponat sacerdos benedictionem et oblationem nostram in domo *sua* » (lin. 1880).

36,5 Contra Idumeam et gentes, quae in tempore ruinae Hierusalem terram Domini vastaverunt, propheta vaticinatur: « (*qui dederunt terram tuam... cum*) † *gaudio* † (*et toto corde ex animo... ut vastarent*). Lectionem *gaudio*, quae a contextu aliena videtur, sed respondet hebraicae veritati שִׂמְחָה et graecae interpretationi *εὐφροσύνῃ*, exhibent codices $A^{2}\Phi\Theta^{HAMG}\Psi^{D}$ Ω^{SJ}, lemma *HI* (codd. *PRV* et editiones), *GR-M* [13]. Codices autem plerique *gladio*; quae corruptela, cum eam stirpes codicum hispanorum omnes, et familiae diversae $\Pi^{L}A^{*}O$, $\Theta^{S}Q$, RY, ETSU, Ω^{M} communicent, eo magis ad archetypum revocanda est, quod et in codice *K* lemmatis *HI* et apud Rabanum, et praesertim in expositione Hieronymi [14] plane legitur: « contra Idumaeam... quae tenuit terram meam... et possedit *gladio* et toto corde possedit, ut eiceret habitatores... terramque vastaret » (lin. 594-599). Corruptela igitur *gladio* prius exorta est quam Hieronymi expositio confecta; quin etiam, quam ea Hiezechielis exemplaria divulgata, e quibus pleraeque codicum stirpes sunt ortae.

His discrepantiis et translationis Vulgatae codicum inter se et Commentariorum lemmatis cum expositione perpensis, in ipsius Hieronymi scriptorium, ut ita dicamus, introducimur. Primo *gladio* in Vulgatae archetypo, et in lemmate [15] (cf. codicem *K*) legebatur; quod mendum, expositione confecta, est a Hieronymo correctum et in lemmate (cf. codices *PRV* et editiones antiquas) et in eius Hiezechielis exemplari, unde

---

[13] *Regula pastoralis* III, XXVI, PL 77, 99B: « non solum quia gaudeant, sed quod toto corde et ex animo gaudeant ».

[14] F. Glorie, expositionem ad lemma inconsulte adaequando, hic *gaudio* scripsit contra codices et editiones antiquiores; paraphrasis tamen Hieronymi « possedit gladio » coniecturam *gaudio* omnino excludit.

[15] Post lemma secundum 𝔓 sive Vulgatam, sequitur eiusdem versus 5 lemma secundum 𝔊: « cum *gaudio* despicientes animas ut subverterent eas in vastatione » (lin. 546-548). Mirum est hoc quoque loco mendum *cum odio* pro *cum gaudio* omnibus in libris latinis, etiam in *K*, et in editionibus, praeter editionem F. Glorie qui ex coniectura textum sanavit, inveniri. Cum vix credatur Hieronymum *μετ' εὐφροσύνης* omnium codicum graecorum sic reddi voluisse, mendum *odio* difficultatem iterum manifestat, quam vox *gaudium* in contextu orationis afferebat. Qui alter error, cum lectionem *gladio* iam supponat in translatione secundum hebraicum, priorem confirmat.

lectio vera *gaudio* in nonnullos Vulgatae codices effluxit [16]. Quis enim alius eiusmodi errorem deprehendere potuit, nisi interpres ipse; aut quis lectionem veram *gaudio*, si eam e codicibus biblicis in lemma introductam esse obieceris, in $A^{2}\Phi\Theta^{HAMG}$ restituere? Etenim cum Vulgatae et Commentariorum traditiones inter se non sint contaminatae, nisi in quibusdam testibus levioribus [17]; cum vero testes utriusque traditionis gravissimi in lectionem quae hebraicae veritati responderet una reciderint, censendum est huius generis retractationem nusquam nisi in scriptorio hieronymiano adhiberi potuisse.

42,6 *eminebant de inferioribus et de mediis a terra.* Ita codices meliores CΔARY cum 𝔓. Plerique autem addunt *cubitis* (vel *cubitos*) *quinquaginta*, aut saltem *cubitis* (Λ^{L}Ok), omisso *quinquaginta* [18]. Tametsi in 𝔓 nihil huiusmodi habetur, adiungitur tamen in $\mathfrak{G}^{O}$ ※ *πεντήκοντα*, in codicis hexaplaris Q margine *οἱ γ'* addito. Cum dubium sit Aquilam verbum pro verbo reddentem quidquam addidisse, asteriscus verisimiliter significat numerum esse ex Theodotionis vel Symmachi interpretationibus sumptum (ex v. 7). Hieronymus *cubitis quinquaginta* in Commentariorum lemmate iteravit (lin. 58, 212), et in expositione, quae Origenem certe olet, repetiit (lin. 240). Lectio Vulgatae brevior, quae 𝔓 presse reddit, sine dubitatione servanda est. Cum tamen fieri nequeat ut tot codices lectionem ullam ex Hieronymi Commentariis sumpserint, lectio hexaplaris ipsi Hieronymo vindicanda est, qui eam aut in exemplaris margine adscribendam dictavit [19], aut exemplari iam confecto addidit, aut denique in exemplar quo ad Commentaria conficienda usus est introduxit.

4. propter hoc] *cum HI et* 176; propterea Δ^{L}; propterea hoc Θ^{A} | loqueris Δ^{M} | homo homo] R* *cum HI et* 𝔓𝔊; omnis homo X; homo $AR^{2}S^{*}$ *cum* 176. ¶ hebr. et anti. « homo homo » *Hug.* | domo *om.* Π^{L} | haec dicit dominus deus *post* homo — israhel *transponit* Π^{L} | posuerit] *cum HI, M-A et* 𝔓𝔊; posuerunt $X\Psi^{D}\Omega^{M}$ *cum* 176 | inmund. suas] inmunditias E; inmunditiam Δ^{M*} | suae] suas U* | statuerit] *cum HI* (*cod. P*); statuerunt Ω^{M}; posuerit EU *cum HI et HI*(𝔊), *cf. supra*; *praem.* et S | uener*** Θ^{M*} | interr.] *praem.* et Q | ~ me per eum A | ego] *cum HI*(𝔊) *et* 𝔓𝔊; *praem.* et EU *cum HI* | ei] et Θ^{A*} | in multitudinem $\Sigma^{T}\Delta^{M}RY$ | inmund.] iniquitatum Δ^{L*}, *cf.* 28, 18.
5. domum Q, *cf.* 176 *et* 𝔓𝔊 | quo] Q*; qui Q^{2} | secesserunt $O\Theta^{A}$.
6. deus *om.* X *cum* 176 *et* 𝔊 | conuertimini] *cum HI et* 176; conuertemini $\Phi^{R*G*}E$ | reced.] redite A | idolis] *praem.* uniuersis Δ^{L}, *cf. infra* | uestris (*2°*)] suis Y† | auertite] *cum HI*; auertitis Π^{L}; auerte Ω^{M}.
7. quia] qui T* | homo homo] R*T* *cum HI, M-A et* 𝔓𝔊; homo $\Pi^{L}R^{3}T^{2}$. ¶ hebr. et anti. « homo homo » *Hug.* | et (*1°*) — israhel (*2°*) *om.* U*, *per homoeotel.* | de prosel.] *cum HI, M-A et* 𝔓𝔊; pros(ely)tis $X\Theta^{G*}$ *cum* $\mathfrak{G}^{A}$; prosel(y)tus $\Delta^{M*}\Theta^{H}$ | ~ contra faciem suam

---

XIV. 1. ¶ et (*1°*) XIV. Ω^{SJ}; XXVIIII. AQ; [...]Θ^{S}; XXXII. Ω^{M}; *Div. sine num.* $C\Lambda^{L}$ $O\Theta^{M}$; ⟨et (*1°*) T | 2. ¶ et XVI. Δ^{L}; XVIII. Φ^{E}; XXXII. SM; *Div. sine num.* $CX\Sigma^{T}\Phi^{P}O\Theta^{HM}$ RYT *cum* 𝔓; ⟨et A | 3. ⟨fili CAOT | ⟨viri C | ⟨et CAOT | ⟨numquid CAOTS | 4. ¶ propter *Div. sine num.* Φ^{ERG}; ⟨propter CAOTS | ⟨haec COTS | ⟨homo (*1°*) CAOT | ⟨qui O | ⟨et (*2°*) CAOT | ⟨et (*3°*) CAO | ⟨ego CAOT | 5. ⟨ut CAO ⟨quo CAOT | 6. ¶ propterea XXXIII. SM; *Div. sine num.* $\Lambda^{L}\Phi^{P}O$; ⟨propterea CAT | ¶ haec XXI. X; XXXIII. Ω^{M}; ⟨haec CAOS | ⟨convertimini CAOT | ⟨et (*ult.*) CAOT | 7. ⟨quia CAOT | ⟨et (*1°*) O | ⟨si CAOT.

et scandalum iniquitatis suae statuerit contra faciem suam
et venerit ad prophetam ut interroget per eum me
ego Dominus respondebo ei per me
8 et ponam faciem meam super hominem illum
et faciam eum in exemplum et in proverbium
et disperdam eum de medio populi mei
et scietis quia ego Dominus
9 et propheta cum erraverit et locutus fuerit verbum
ego Dominus decepi prophetam illum
et extendam manum meam super eum
et delebo eum de medio populi mei Israhel
10 et portabunt iniquitatem suam
iuxta iniquitatem interrogantis sic iniquitas prophetae erit
11 ut non erret ultra domus Israhel a me
neque polluatur in universis praevaricationibus suis
sed sit mihi in populum et ego sim eis in Deum ait Dominus exercituum
12 et factus est sermo Domini ad me dicens
13 fili hominis terra cum peccaverit mihi ut praevaricetur praevaricans
extendam manum meam super eam et conteram virgam pa-

Deest Γ^{A}; *adsunt, a v.* 12, 32 57.

stat. Ω^{M} | uenerit] Θ^{G2} (rit *in ras.*) | me (2°)] Δ^{M*3}; per me Δ^{M2}; *om.* Φ^{E*}. ¶ ier. hebr. et anti. « me » *Iac.* | ~ me per eum $\Pi^{L}\Omega^{M}$.

8. et fac. eum *om.* U | eum (1°)] *cum HI*; illum ETS *cum* 176; *om.* Δ^{M*} | in (1°) *om.* S | prouerbium] *cum HI et* 𝔊; o(b)pro-(b)rium $\Delta^{M*}E^{*}TU$; obprouerbium Θ^{M*}(*ut vid.*)E^{2} | eum (2°) *om.* U | medio *om.* Φ^{E*} | ego *om.* S*.

9. et (1°) — dominus *om.* R*, *per homoeotel.* | et (1°)] et si Δ^{M*}, *ut vid.* | propheta] prophetam Δ^{M}; prophetae Θ^{M*} | cum] *cum HI*; si Δ^{M} *cum HI*(𝔊), *AU Jul*, 176 *et* 𝔊 | errauerint Θ^{S*} | uerbis S | decepi] Λ^{L*} *cum HI et* 𝔊𝔊; decipi $\Delta^{L}\Lambda^{L2}$; decoepi* Q; dec(i)piam $\Lambda^{L3}\Omega^{MSJ*}$. ¶ hebr. et anti. « decepi » *Hug.* | prophetam *om.* Π^{L} | eum (1°)] *cum HI, AU Jul gr et* 176; illum Ψ^{D} agrelust | eum (2°) *om.* O.

10. portabunt] *cum HI et* 𝔊𝔊; portabit ET*U *cum* $\mathfrak{G}^{26}$, *cf.* 176 (accipiet); prophetabunt X | iuxta] *praem.* et Q | interrogantes E*S*U*.

11. ut] U* *cum HI*, 176 *et* 𝔊𝔊; et AS*(*ut vid.*)U^{2} | non *om.* R* | erret] erit U | ultra ¶ hebr. et anti. « ultra » *Iac.* | ~ domus isrł ultra Θ^{S} | sed sit] se***t Φ^{E*} | sit] *cum HI*; sint $\Delta^{M}\Theta^{HMG}S^{2}\Psi^{D}\Omega^{S}$relust *cum M-A, cf.* 𝔊𝔊; *om.* S*. ¶ « sed sit » *Guill.* | eis] *cum HI et* 𝔊𝔊; ei $C\Sigma^{T}\Delta^{L}\Phi^{RG}$. ¶ « sim ei » *Guill.* | in deum] T*; in domino T^{2} | ait dom. exerc. *om.* Ω^{M}, *per homoeotel.*

13. filii A | hominibus Θ^{A} | peccauit Φ^{G}† | ut praeu. praeu.] *in ras. brev. spat.* Θ^{G2} | (praeuari)cetur praeuaricans*** Φ^{E2}, *partim in marg., partim in ras.* | extendam] *cum HI*; *praem.* et $\Delta^{M}\Phi^{E*RGP*}O*M*$ *cum* 176 *et* 𝔊𝔊 | meam ¶ hebr. et anti. « meam » *Iac.* |

⟨et (3°) CAOT | ⟨et (4°) CAOT | ⟨ego CAOTS | 8. ⟨et (1°) CAOT | ⟨et (2°) CAOT | ⟨et (4°) CAOT | ⟨et (*ult.*) CAOT | 9. ¶ et (1°) XXX. A[Θ^{S}]Q; XXXIIII. M[S]Ω^{M}; *Div. sine num.* $\Pi^{L}\Phi^{P}O$; ⟨et (1°) CT | ⟨ego CAOT | ⟨et (3°) CAOTS | ⟨et (4°) CAOT | 10. ⟨et CAOT | ⟨iuxta CAOT | ⟨sic OS | 11. ⟨ut CAOT | ⟨neque CAOT | ⟨sed CAOTS | 12. ¶ et XIIII. U; XVII. Δ^{L}; XVIIII. Φ^{E}; XXII. X; XXXI. A[Θ^{S}]Q; XXXV. SMΩ^{M}; *Div. sine num.* $C\Sigma^{T}\Lambda^{L}$ $\Pi^{L}\Phi^{RGP}O\Theta^{MG}RYET\Psi^{D}$ | 13. ⟨fili CAOT | ⟨terra O | ⟨extendam CAOTS.

nis eius
et inmittam in eam famem et interficiam de ea hominem et iumenta
14 et si fuerint tres viri isti in medio eius Noe Danihel et Iob
ipsi iustitia sua liberabunt animas suas ait Dominus exercituum
15 quod si et bestias pessimas induxero super terram ut vastem eam
et fuerit invia eo quod non sit pertransiens propter bestias
16 tres viri isti qui fuerint in ea
vivo ego dicit Dominus Deus
quia nec filios nec filias liberabunt
sed ipsi soli liberabuntur terra autem desolabitur
17 vel si gladium induxero super terram illam
et dixero gladio transi per terram
et interfecero de ea hominem et iumentum
18 et tres viri isti fuerint in medio eius
vivo ego dicit Dominus Deus non liberabunt filios neque filias sed ipsi soli liberabuntur
19 si autem et pestilentiam inmisero super terram illam

Deest Γ^{A}; *adsunt* 32 57.

eius] *cum HI et* 32; *om.* Π^{L} *cum* 𝔊𝔊, *cf.* 176 | inmittam] *cum HI*, 32, 57 *et CY Fo lap*; emittam E*T*U, *cf.* 𝔊; mittam $X\Delta^{M}\Theta^{S}$ *cum* 176 *et CY lap* (*cod. S*) | in eum Ω^{J}; in ea $X\Psi^{D}$ | de eo R*Y* | iumenta = $A\Phi^{ERG}O$ $\Theta^{M2}RYE*T^{2}SU*$ *cum HI* (*cod. P*) *et* 57, *cf.* 176 (pecora) *et* 𝔊; iumen*** $\Theta^{M}*$; iumentum T* *cett. cum* $\mathfrak{GG}^{OL}$, *cf. vv.* 17 *et* 19. ¶ hebr. et anti. « iumentum » *Iac.*

14. isti *om.* OU | et (*2°*) *om.* E*U | ipsi] *praem.* uibo ego dicit dominus deus quoniam filium et filiam non liberabunt sed X, *cf. v.* 16 | sua *om.* X *cum* 57 | ait dom. exerc. *om.* X, *cf. v.* 20.

15. si et] *cum HI*, 32, 57 *et* 𝔊; et si $\Pi^{L}\Theta^{S}Q\Psi^{D}$ag; si $\Delta^{L}\Omega^{S}$ | et best.] *in ras.* R^{2}; + suas Ψ^{D} | uastem] *cum HI*, 57 *et* $\mathfrak{G}^{codd.}$𝔊; uastent $\Delta^{L}\Omega^{S}$a, *cf.* 𝔊; *praem.* et R*. ¶ ier. in originali et anti. « uastem » mo. « uastent » *Iac.* | fuerint XA | inuia — non] *in ras. brev. spat.* Φ^{E2} | inuia] U*; in inuia U^{2}.

16. tres] M* *cum HI*, 57 *et* 𝔊; et tres $\Delta^{M}*$(*ut vid.*)$\Theta^{HAMG}M^{2}\Psi^{D}\Omega^{SJ}*$ *cum* 𝔊, *cf. v.* 18. ¶ ier. et hebr. (*pro* anti.) non habent « et » set habent « qui ». hebr. habet « et » et non « qui » et ita habent aliqui anti. *Iac.* | qui] R*S* *cum HI* (*codd.* $R^{A}W$) *et* 57; si Π^{L} $R^{2}S^{2}$Qagrelust *cum HI et GR-M Jb*, *cf. v.* 14; *om.* $C\Delta^{M}\Theta^{SHMG}M^{2}$ *cum PS-IS Jud et* 𝔊𝔊, *cf. v.* 18 | fuerunt AO | deus] *cum GR-M Jb*, 32, 57 *et* $\mathfrak{GG}^{codd}$; *om.* $\Theta^{S}E*T*$ *cum HI et* $\mathfrak{G}^{BA'}$ | quia] qui $\Lambda^{L}*$ | nec *om.* O† | lib. sed ipsi soli *om.* U*, *per homoeoarcton.*

17. gladium] gladio S* *cum* 57 | super] in Π^{L} | illam] *cum HI*, 57 *et* 𝔊𝔊; isr(ahe)l E*T* SU; *om.* $\Delta^{M}*$ | dix.] si dixero Δ^{M2}; *****-**ero $\Delta^{M}*$ | pertransi ETU | per] $\Delta^{M}*$; super Δ^{M2} | terram (*2°*)] *cum HI*, 57 *et* 𝔊𝔊; eam $\Theta^{HG}*\Psi^{D}\Omega^{M}$ | interfecero] *cum HI*, 57 *et* 𝔊𝔊; interficito Ω^{S} | ~ hom. et ium. de ea Ω^{M}.

18. deus] *cum HI*, 32, 57 *et* $\mathfrak{GG}^{codd.}$; + quia $AO\Theta^{AMG}$, *cf. v.* 16 | non — filias] filios et (neque Θ^{G2}, *ut vid.*; et Θ^{G3}) filias non liberabunt $O\Theta^{AMG2}$(*in ras.*), *cf. v.* 16 | liberabunt] liberabuntur Δ^{L}, *cf. infra* | filios + suos ETU | nec Δ^{M} | filias + suas S^{2} | sed *om.* $\Delta^{M}*$ | liberabuntur] liberabunt E*, *cf. supra.*

19. pestilentia $\Delta^{M}*$ | inmisero] *cum HI*, 57 *et* 176, *cf.* 𝔊; misero $C\Sigma^{T}\Delta^{M}U$, *cf. v.* 21 | super terra illa U; **super terram E |

⟨et (*2°*) CAO | ⟨et (*3°*) COT | 14. ⟨et (*1°*) CAOTS | ⟨noe C | ⟨ipsi CAOT | 15. ⟨quod CA OTS | ⟨et fuerit CAOT | 16. ⟨tres CAOT | ⟨vivo CAOS | ⟨sed CAOTS | ⟨terra CA | 17. ⟨vel CAOT | ⟨et (*1°*) CAOT | ⟨et (*2°*) CAOT | 18. ⟨et CAOT | ⟨vivo CAOT | ⟨non C | ⟨sed COTS | 19. ¶ si *Div. sine num.* C; ⟨si AOTS.

et effudero indignationem meam super eam in sanguine
ut auferam ex ea hominem et iumentum
20 et Noe et Danihel et Iob fuerint in medio eius
vivo ego dicit Dominus Deus quia filium et filiam non liberabunt
sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas
21 quoniam haec dicit Dominus Deus
quod si et quattuor iudicia mea pessima
gladium et famem et bestias malas et pestilentiam misero in Hierusalem
ut interficiam de ea hominem et pecus
22 tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias
ecce ipsi egredientur ad vos et videbitis viam eorum et adinventiones eorum
et consolabimini super malo quod induxi in Hierusalem
in omnibus quae inportavi super eam
23 et consolabuntur vos cum videritis viam eorum et adinventiones eorum

---

Deest Γ^{A}; *adsunt* 32(*usque ad v.* 19, sanguine)57.

super eā* Φ^{E}; super ea Λ^{L}*; *om.* X *cum* 176 | in sanguine] *cum HI,* 57 *et* 𝔊𝔊; in sanguinem $C\Sigma^{T}\Delta\Phi^{E*GP}O\Theta^{HAM*G}ET\Omega^{M}$ *cum HI* (*cod. P**) *et* 176 | ut] *cum HI,* 57 *et* 𝔊𝔊; et $X\Delta^{L}\Phi^{P}\Psi^{D}$ *cum* 176 | ~ hom. ut auf. ex ea U | iumentum] *cum HI,* 57 *et* 𝔊𝔊; iumenta $C\Sigma^{T}\Delta^{L}E*$, *cf. v.* 13.

20. et noe *om.* C | noe — fuerint] si fuerint in ea noe daniel et iob Ω^{MS}, *cf. v.* 14. ¶ hebr. anti. et ier. « et noe et » *Iac.* | et (*2°*)] *cum HI,* 57 *et* 𝔊; *om.* $\Delta^{M*}\Theta^{HG*}$a *cum* 176 *et* 𝔊, *cf. v.* 14 | fuerunt U*a | medio ¶ ier. hebr. et anti. « in medio eius » *Iac.* | uiuo — deus] *in ras.* E^{2} | deus] *cum HI,* 57 *et* 𝔊$^{codd.}$; *om.* C *cum* 176 *et* $\mathfrak{G}^{BA}$ | quia] quoniam RY | filiam + suam Δ^{M*} | sed — liberabunt (*2°*) *om.* U, *per homoeotel.*

21. quoniam] quia X; quod Θ^{A}, *cf. infra* | deus *om.* aɛ *cum* 176 *et* $\mathfrak{G}^{B}$ | quod] quia Ω^{S} | si et] *cum HI,* 57 *et* 𝔊, *cf.* 176 (si etiam); et si $S^{2}\Psi^{D}\Omega^{MS}$agrelst; et S* | mea *om.* O | ~ pessima mea RY | gladium] *praem.* et A | fame C | ~ famem et gladium Ω^{M2}. ¶ ier. hebr. et anti. « gladium et famem » *Iac.* | et (*3°*)] Ω^{J*}; ac Ω^{MSJ2}agrelust | pestilentia S* *cum* 57 | i(n)misero Ωagrelust *cum* 176, *cf. v.* 19 | in] *cum HI,* 57, 176 *et* 𝔊𝔊; *om.* C | de eo M*; *om.* Q.

22. tamen] *praem.* et $Q\Omega^{SJ*}$a; + et C | relinquitur Δ^{L} *cum* 57 | egredietur Ψ^{D}; egrediuntur E*SU; ingredientur t | adinuen(t)ionis E*U*; aduentiones $\Phi^{E*}S^{2}$; aduentionis S*. ¶ hebr. anti. et ier. « adinuentiones » *Iac.* | et consol. — 23. eorum (*2°*) *bis scrips.* M* | consolamini R*Y | induxi] *cum HI,* 57 *et* 176; adduxi C | in (*2°*)] *cum HI et* 157; super Π^{L} *cum* 176 *et* 𝔊𝔊, *cf. infra* | in (*3°*)] et in Δ^{L} | inportabis Ψ^{D} | eam] E^{2} (a *in ras.*); + et conteram uirgam panis eius et inmittam in eam famem et interficiam de eam hominem Δ^{M2}, *ex v.* 13.

23. uos] T*; super uos $\Phi T^{2}\Psi^{D}\Omega^{SJ}$, *cf. v.* 22 (super malo); + autem S^{2}, *ut vid.* ¶ « uos » ał « super uos » *Hug.* « super uos » hebr. etiam non solum habet « uos » set etiam « uobiscum » quod ergo dicitur « consolabuntur » passiue dicitur sicut quod dicitur « consolatus est » infra XXXII [*v.* 31] accipitur *Guill., item Iac.* | eorum (*1°*) *om.* U | adinuen(t)ionis E*U; inaduentiones A* |

⟨et (*2°*) CAOT | ⟨ut CAO | 20. ⟨et (*1°*) CAOT | ⟨vivo CAOT | ⟨quia C | ⟨sed CAOTS | 21. ¶ quoniam *Div. sine num.* C; ⟨quoniam AOT | ⟨quod CAOTS | ⟨gladium CAOT | ⟨ut CAOT | 22. ⟨tamen COT | ⟨ecce CAOT | ⟨et (*2°*) CA | ⟨et (*4°*) CAO | ⟨in omnibus CAOT | 23. ⟨et (*1°*) CAOT | ⟨vos S | ⟨et (*2°*) AO.

et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quae feci in ea ait Dominus Deus

XV. [1] et factus est sermo Domini ad me dicens

[2] fili hominis quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quae sunt inter ligna silvarum

[3] numquid tolletur de ea lignum ut fiat opus

aut fabricabitur de ea paxillus ut dependeat in eo quodcumque vas

[4] ecce igni datum est in escam utramque partem eius consumpsit ignis

et medietas eius redacta est in favillam

numquid utile erit ad opus

[5] etiam cum esset integrum non erat aptum ad opus

quanto magis cum ignis illud devoraverit et conbuserit nihil ex eo fiet operis

[6] propterea haec dicit Dominus Deus

quomodo lignum vitis inter ligna silvarum quod dedi igni ad devorandum

sic tradidi habitatores Hierusalem

[7] et ponam faciem meam in eos de igne egredientur et ignis consumet eos

et scietis quia ego Dominus cum posuero faciem meam in eos

Deest Γ^{A}; *adest* 57, *usque ad v.* 23, deus.

non] con Δ^{M2}; *om.* Δ^{M*} | fecerint $\Psi^{'D}$ | quae] quecumque Ω *cum* 176. ¶ al. « omnia que feci » *Iac., item Guill.* | deus + omnipotens Ω^{J*} *cum* 57. ¶ hebr. et anti. « deus » *Iac.*

XV. 2. filii A | fiet] erit RY *cum* 176 | ligno] Ω^{S*} *cum HI, cf.* 𝔊𝔊; de ligno Ω^{S2J} agrelbgc; ligni $C\Sigma^{T}$. ¶ « de » *recusavit Iac.* | siluarum] nemorum Φ^{E*}, *ut vid., cf. supra.*

3. tollitur E*S *cum HI* (= *cod. P sol.*); tolleretur U*; *praem.* non Θ^{H} | ligna $\Psi^{'D*}$ | faciat $C\Sigma^{T}$, *cf.* 176 (faciant) | aut] *in ras.* Φ^{E2}; ut Θ^{A}; et Θ^{H2} *in ras.* | fabricabitur] U*; fabricatur $O\Theta^{S}$; figatur U^{2} | ea (2°)] *cum HI et* 176; illa Θ^{G}g | pax illius U* | dependeat] M*; dependat $\Sigma^{T}\Pi^{L}\Theta^{H*}$; pendeat M^{2} *cum HI* (2/2) | in] *cum* 176 *et* 𝔊𝔊; de $C\Sigma^{T}\Delta^{L}$ *cum HI* (1/2); ex Θ^{M2} (*in ras.*) *cum HI* (1/2); *praem.* *** Φ^{E*} | eo] *cum* 176 *et* 𝔊, *cf. HI in expos.* (*l.* 744, «de quo»); ea Σ^{T} *cum HI* (= *cod. P*).

4. in (e)sca $\Phi^{E*RGP}M*$ | consumit EU; sumpsit M*; consit Θ^{H*}; cōbussit $\Psi^{'D}$ | ignem U* | redata S* | in fa(u)illa $C\Sigma^{T}$ | utile* Θ^{M2} (e *corr.*); utille U; ille Q | opus] *opu*** Φ^{E*}.

5. quantum S*(*ut vid.*) U | illum S *cum HI* (*cod. P*) | ~ illud ignis $\Sigma^{T}\Omega^{MS}$agrelbgc | et conbuserit *om.* Δ^{M*}, *cf.* 𝔊 | et] aut E | conbus.] consumpserit $\Theta^{H}\Psi^{'D}$, *cf.* 176.

6. propterea] propter hoc Ω^{S} | dixit Λ^{L*} | lignum ¶ ier. hebr. et anti. « lignum » *Iac.* | dedi *om.* Π^{L} | igne E; ligni Λ^{L*} | tradidi] Θ^{M2}(*in ras.*)M*, *cf.* 176 (dedi) *et* 𝔊𝔊; tradam $\Phi^{ERG}M^{2}\Psi^{'D}\Omega^{J}$agrelgc *cum HI* (*cod. P et cf. exposit.*); et tradam Ω^{S}. ¶ ier. hebr. et anti. « tradam » *Iac.* | habit. hierus.] *cum HI et* 𝔊𝔊, *cf.* 176; (hie)rus. et habitatores eius $\Theta^{HAMG}\Psi^{'D}$, *cf. Ier* 46, 8 *et* 47, 2.

7. de — eos (2°) *om.* Φ^{E2}; *bis scrips.* Q | de] et de X | igne] M*; igni E*S*M^{2} | in eos (2°)] *cum HI,* 176 *et* 𝔊; in eis $\Delta^{M}\Theta^{H}\Psi^{'D}\Omega^{MS}$. ¶ ier. hebr. (*om.* 2^{a} *m.*) et anti. « in eos » *Iac.*

⟨et (3°) CAOT.

XV. 1. ¶ et XV. $U\Omega^{SJ}$; XVIII. Δ^{L}; XX. Φ^{E}; XXIII. X; XXXII. A[Θ^{S}]Q; XXXVI. $SM\Omega^{M}$; *Div. sine num.* $C\Sigma^{T}\Lambda^{L}\Pi^{L}\Phi^{RGP}O\Theta^{MG}RYET\Psi^{'D}$ | 2. ⟨fili CAOTS | ⟨quid CO | ⟨ex CA | 3. ⟨numquid CAOTS | ⟨aut CAOT | ⟨ut (2°) T | 4. ⟨ecce CAOTS | ⟨utramque CT | ⟨et CAOT | ⟨numquid CAOTS | 5. ⟨etiam CAT | ⟨quanto CAOT | ⟨nihil C | 6. ¶ propterea XXXIII. $A\Theta^{S}Q$; *Div. sine num.* $O\Theta^{MG}RE$; ⟨propterea CTS | ⟨quomodo CAOT | ⟨sic CAOTS | 7. ⟨et (1°) CAOT | ⟨de igne CAOTS | ⟨et scietis CAOT | ⟨cum posuero OS.

[8] et dedero terram inviam et desolatam
eo quod praevaricatores extiterint dicit Dominus Deus
XVI. [1] et factus est sermo Domini ad me dicens
[2] fili hominis notas fac Hierusalem abominationes suas [3] et dices haec dicit Dominus Deus Hierusalem
radix tua et generatio tua de terra chananea
pater tuus Amorreus et mater tua Chetthea
[4] et quando nata es in die ortus tui non est praecisus umbilicus tuus
et in aqua non es lota in salutem nec sale salita nec involuta pannis
[5] non pepercit super te oculus ut facerem tibi unum de his miseratus tui
sed proiecta es super faciem terrae in abiectione animae tuae in die qua nata es
[6] transiens autem per te vidi te conculcari in sanguine tuo
et dixi tibi cum esses in sanguine

Deest Γ^{A}; *adsunt* i (*a v.* 5, tibi) z (*partim, a v.* 4, [umbili]cus).

8. terram + eorum U | inuiam] U*; in inuiam U^{2} | et (2°) *om.* S | extiterunt Π^{L}E | dicit] ayt Δ^{L} | deus *om.* S *cum* 176 *et* $\mathfrak{G}^{BA}$.

XVI. 2. filii A.

3. dicet Π^{L} | dominus *om.* U | hierus.] isra(h)el Ω^{S}a. ¶ ier. hebr. et anti. « ierusalem » *Iac., item Hug.* | et (2°) *om.* Δ^{L} | tua (2°) + et terra tua Θ^{S}Q | chanan(e)a] Φ^{R*} Θ^{M*}; chanaan Σ^{T*}(*ut vid.*)$\Pi^{L}\Phi^{R2P}\Theta^{SM2}$MQ Ψ^{D}agrelust *cum HI* (3/3), *HI Ez h et Na*, 176 *et* $\mathfrak{G}$; canone S; + inuenerunt sibi parentes non de quibus nascerentur sed quorum mores sectando pariter damnarentur Π^{L}, *ex AU Jo 42, 10* | chetthea] Φ^{P2} (chet *in ras.*).

4. nata] nota Λ^{L*} | es (1°)] est Θ^{A*} RQ* | praecisum Θ^{A*M*}; prescisus Ω^{J*} | umbiculus Θ^{A}; uerbilicus Ψ^{D*} | in aqua] Θ^{S2} *cum HI*, 176 *et* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}$; in aquam S*, *ut vid.*; aqua Θ^{S*3}Qagrelust | es (2°)] *cum HI, CHRO h* (*cod. B*), 176 *et* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}$; est Π^{L}RE*Q* *cum CHRO h* | lotus Δ^{M*} | in salute X; et salutem S*; salutem U | salita] Φ^{E2} (alit *ref.*) | pannis] Θ^{H2} (an *in ras.*); panis Y*.

5. non] *cum HI et* $\mathfrak{H}$; nec z *cum HI*($\mathfrak{G}$), 176 *et* $\mathfrak{G}$ | oculus] R* *cum HI et* $\mathfrak{H}$; oculus meus $\Phi\Theta^{S}R^{2}$ETUQ$\Psi^{D}\Omega$ *cum* 176 *et* $\mathfrak{G}$. ¶ hebr. et anti. « oculus » LXX « oculus tuus » *Hug.* ier. non habet « meus » *Iac.* | facerem] $\Sigma^{T*}\Theta^{M*}$E*z(*ut vid.*) *cum HI*($\mathfrak{G}$), *HI Ez h et AN h*; faceret $\Sigma^{T2}\Delta^{L}\Theta^{M2}E^{2}T*SU^{2}$ (-et *ex* -it)Magrelust *cum HI* (*cf. expos., ll. 968-977*) *et APO, forsitan recte*; facerent Ω^{M*}, *ut vid.* ¶ hebr. ier. et anti. « facerem » *Iac.* | unum] *praem.* de Δ^{M2} | hiis Ω^{SJ}a | miseratus] Φ^{E*}; misertus $\Phi^{E2}\Omega^{SJ}$agrelust *cum HI*; miserans Π^{L} | sed] et Ω^{J*}, *ut vid., cum* 176 *et* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}$ | es (1°)] est Θ^{S} | in abiectione animae tuae *om.* Π^{L}, *per homoeotel.* | in abiectione] Δ^{M*} *cum HI* (*cod. P*); in abiectionem $\Delta^{M2}\Theta^{HAMG}$; in abiectatione S* | qua] *cum HI*; in qua SΩ^{J*}; quae U; quando T.

6. uidi te] Σ^{T2} (*alt.* i *in ras.*) *cum HI*, 176 *et* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}$; uidete Θ^{AM*} | conculcari] Θ^{M*}, *ut vid.*; conculcare ESU; conculcatam Θ^{M2} Mae *cum HI* (2/2) *et* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}$ | et — 7. es (2°)] *in ras. brev. spat.* Φ^{P2} | et — tuo (2°) *om.* U, *per homoeotel., sed cf. infra* | dixi (1°)] dixit Θ^{A} | cum — 7. quasi] *in ras. litt. minut.* Φ^{E2} | esses]

---

8. ⟨et (1°) CAOT | ⟨eo quod CAOT.

XVI. 1. ¶ et XVI. UΩ^{SJ}; XVIIII. Δ^{L}; XXIIII. X; XXXVII. SMΩ^{M}; *Div. sine num.* C$\Sigma^{T}\Lambda^{L}\Pi^{L}\Phi^{RGP}O\Theta^{MG}RYT\Psi^{D}$; ⟨et A | 2. ⟨fili CAOTS | ⟨notas C | 3. ⟨et (1°) CA | ⟨haec COS | ⟨radix CAOT | ⟨pater CAOTS | 4. ⟨et (1°) CAOT | ⟨et (2°) CAOT | ⟨nec CAOTS | 5. ⟨non CAOT | ⟨ut C | ⟨sed CAOTS | ⟨in abiectione COT | ⟨in die S | 6. ⟨transiens CAOTi | ⟨et CAOTi.

tuo vive dixi inquam tibi in sanguine tuo vive
7 multiplicatam quasi germen agri dedi te
et multiplicata es et grandis effecta
et ingressa es et pervenisti ad mundum muliebrem
ubera tua intumuerunt et pilus tuus germinavit
et eras nuda et confusionis plena
8 et transivi per te et vidi te
et ecce tempus tuum tempus amantium
et expandi amictum meum super te et operui ignominiam tuam
et iuravi tibi et ingressus sum pactum tecum ait Dominus Deus et facta es mihi 9 et lavi te aqua
et emundavi sanguinem tuum ex te et unxi te oleo
10 et vestivi te discoloribus et calciavi te † ianthino †
et cinxi te bysso et indui te subtilibus
11 et ornavi te ornamento
et dedi armillas in manibus tuis et torquem circa collum tuum
12 et dedi inaurem super os tuum

Deest Γ^{A}; *adsunt* iz(*partim*).

es Ω^{M} | uiue (*1°*)] Σ^{T2}, *ut vid., cum HI*; *om.* $C\Sigma^{T*3}$ | dixi (*2°*) — uiue (*2°*) *om.* $O*T*$, *per homoeotel.* | dixi (*2°*)] et dixi $\Pi^{L}U$; + tibi U*; + **** Q, *ut vid.* | inquam] quam Σ^{T*}; in aquam Δ | uiue (*2°*)] *cum HI et* 𝔓; *om.* E*; + et dixi U*.

7. multiplicatam — es (*2°*)] *in ras.* Φ^{P2} | multipl. quasi] $\Delta^{M*}\Phi^{E2}$(*in ras.*); multiplica ta(n)quam $X\Theta^{M*}$(*ut vid.*); multiplicata quasi $\Delta^{M2}\Pi^{L}\Phi^{R*G}E*TU$, *cf. infra*; *praem.* et Φ^{E*} *cum* $\mathfrak{G}^{A}$, *cf. infra* | germen] *cum HI*; semen $C\Sigma^{T}$ | et (*1°*) *om.* Δ^{L} | es (*1°*)] est R | et grandis eff. *bis scrips.* M* | et (*3°*) *om.* Δ^{L} | ingressa] Δ^{M*} *cum HI et* 𝔓𝔊; egressa X; incrassa Σ^{T}, *cf. Dt* 32, 15; ingrassata Δ^{M2} | mundam S | muliebrem] O* *cum HI*; muliebre O^{2}; mulierem Θ^{A*} | uberta tua U* | intum.] int**muerunt Φ^{G*} | pilis Δ^{M} | germinauit] *HI cum* 𝔓𝔊, *cf.* 176 (exhortus est); germinabit $X\Delta A\Theta^{H*}$i | confusionis = $\Delta^{M}\Lambda^{L}\Pi^{L}A\Theta^{S}RYSMQ$iz(confuss.)am *cum HI et APO*; contusione U*; in confusione Φ^{P*}; confusione *cett., cf. v.* 22.

8. transii $\Theta^{S}Q$ | uidi te] uidete Θ^{A} | et (*ante* ecce)] *cum HI*, 176 *et* 𝔓𝔊; *om.* Δ^{LM2} Φ^{E*} | amant.] animantium $X\Delta^{L}$; ***mantium $\Theta^{M*}E*$ | meum] *in ras.* Φ^{P2} | et (*ante* oper.) *om.* 𝔤 | operui] *per* Φ^{R*} | pactum + meum Ψ^{vD} | tecum] tuum Θ^{M*}, *ut vid.* | ~ tecum pactum $\Delta^{M}\Theta^{SHG}Q$ | facta es] T^{2}; factes T*; facta est $\Theta^{H*}T^{3}$ | mihi ¶ hebr. et anti. « mihi » *Hug.*

9. aqua *om.* Ω^{J*}, *ut vid.* | emundaui] *cum HI*; emundabis Θ^{A2}(b *ex* u); mundaui $C\Sigma^{T}$ *cum HI* (*cod. P**) *et APO* | sang.] te a inem (*sic*) C | ex te *om.* S.

10. disc.] decoloribus X | calcaui Π^{L} | ia(nth)ino = $\Delta^{M}\Theta^{M2}R*YS^{2}$wem *cum HI*; (hiacinth)o $X\Delta^{L}\Pi^{L}\Theta^{SHG}R^{2}Q\Psi^{vD}\Omega$zagrels *cum HI Ez h*, 176, *APO et* 𝔊; (hiacinth)ino $C\Sigma^{T}\Lambda^{L}A\Phi^{RGP}O\Theta^{AM*}ETS*$(*ut vid.*)UM*(-na M^{2})i *cum HI* (*codd. P²W*), *cf. Prolegom., p.* LXXVII; *cintino Φ^{E}. ¶ « iacincto » uel « iacinctino » *Iac.* | et (*4°*)] *cum HI*, 176 *et* 𝔓𝔊; *om.* A.

11. dedi + te $\Psi^{vD*}\Omega^{M*}$ | torques Ω^{S}.

12. et (*1°*) — tuum *om.* E*S, *cf.* T *infra* | dedi + te Π^{L} | super os tuum] *in ras. lat. spat.* Φ^{P2} | super] *cum HI et* 𝔓; in X; insuper (*ex* isuper) in U | tuum] siue nares tuas M *cum HI, qui translationem* 𝔊 *addit* |

⟨vive (*1°*) S | ⟨dixi (*2°*) CAO^{2} | 7. ⟨multiplicatam CAOT | ⟨et (*1°*) CAOTSi | ⟨et (*3°*) CAOTi | ⟨ubera CAOTSi | ⟨et eras CAOTi | 8. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨et (*2°*) CAOTi | ⟨et expandi CAOTSi | ⟨et iuravi CAOTi | ⟨et facta OTSi | 9. ⟨et (*1°*) C | ⟨et (*2°*) AOT | ⟨et (*ult.*) CATi | 10. ⟨et (*1°*) CAO | ⟨et (*2°*) ATSi | ⟨et (*3°*) CAOi | ⟨et (*ult.*) T | 11. ⟨et (*1°*) CAO | ⟨et (*2°*) CA OTSi | ⟨et (*3°*) CAOTi | 12. ⟨et (*1°*) CAOTi.

et circulos auribus tuis
et coronam decoris in capite tuo
13 et ornata es auro et argento
et vestita es bysso et polymito et
† multicoloribus †
similam et mel et oleum comedisti
et decora facta es vehementer nimis
et profecisti in regnum
14 et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam
quia perfecta eras in decore meo quem posueram super te dicit Dominus Deus
15 et habens fiduciam in pulchritudine tua
fornicata es in nomine tuo
et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti ut eius fieres
16 et sumens de vestimentis meis fecisti tibi excelsa hinc inde consuta
et fornicata es super eis sicut non est factum neque futurum est
17 et tulisti vasa decoris tui de auro meo et de argento meo quae dedi tibi
et fecisti tibi imagines masculinas et fornicata es in eis
18 et sumpsisti vestimenta tua mul-

Deest Γ^{A}; *adsunt* iz(*partim*).

auribus] S^{2} (au *in ras.*); *praem.* in Xz *cum APO et Rab. Mauro* | et circ. aur. tuis *verbis* et dedi *anteponit* T*, *cf.* E*S *supra* | dec. in cap.] decorum capiti Ω^{J}*.

13. et (1°) — argento *om.* E | es (*tribus locis*)] est Q* | multicoloribus *restituimus cum* Θ^{M2}gwscm *et HI, cf. Prolegom., p.* LXXVII; multiscolori* Φ^{R}*; [...]ribus z; multis coloribus *cett. cum HI* (*codd.* $R^{A}W$) | similam] *cum HI Ez, Is, Ez h et* 176; s(i)mila $\Phi^{E*R*G}\Theta^{S}$TQ; similae U^{2}; similaginem ΔE*S(-ne)U* (*ut vid.*); s(e)midali(n) AR* (*ut vid.*)Y* (*ut vid.*) *cum* 𝔊 | et oleo comedisti S*; comedisti et oleo Δ^{L} | decorae Θ^{A}; decorata ET*SU* | facta] S^{2} (fa *in ras.*) | nimis] *cum HI* (*cf. exposit.*: « non semel, sed repetito 'nimis, nimis'»), 176 *et* 𝔓𝔊^{A}; *om.* Δ^{M*} *cum* 𝔊.

14. in gentes] *cum HI,* 176 *et* 𝔓𝔊; in gentibus Δ^{L}T*, *cf.* 𝔓𝔊; in gentiles CΣ^{T}; inter gentes Θ^{S} | perf.] profecta U* | eras] *cum HI et GR-M past*; es XS*; erat CΔ^{M*} *cum* 176 *et* 𝔓𝔊 | meo] *cum HI, GR-M past et* 𝔓; tuo E*SUa | proposueram Θ^{S}.

15. in pulchritudine tua] *cum HI et* 𝔓𝔊; in pulchritudinem tuam Q*i | pulchr.] turpitudine Δ^{M*} | tua** Θ^{M*} | tuo] meo Θ^{S}; *om.* Q | fornicationem] *praem.* omnem a.

16. et (1°) *om.* Ω^{J}* | meis] *in ras.* S^{2}, *cf. HI in exposit., l. 1454*: « uestimenta tua, quibus mea largitate donata es »; tuis Θ^{M2} (*in ras.*)agrelbst *cum HI,* 176 *et* 𝔓𝔊, *fors. recte* | fecistis Y* | tibi] *bi Θ^{A*} | hic S* | et forn. *om.* S* | super eos Θ^{H*} | nec Φ^{R*}.

17. uasam R* | de (1°)] Θ^{G*} *cum HI, AU ba,* 176 *et* 𝔓𝔊; et de Π^{L}AOΘ^{AM*G2}i *cum* $\mathfrak{G}^{codd.}$; *om.* Δ^{L} | et de = X$\Delta^{M2}\Pi^{L}\Phi$OΘ^{AMG2} T^{2}SMΩ^{SJ}i *cum HI, AU ba et* 𝔓𝔊; atque relbst; et $\Delta^{M*}\Theta^{G*}$T* *cett., forsitan recte* | meo (2°) *om.* Δ^{L} | quae] E* *cum* 𝔊; quaē E^{2}; quod Δ^{L} *cum HI* | et (3°) *om.* Π^{L} | ∼ ymagines tibi Ω^{M} | es] est Π^{L}.

18. multicoloria] Φ^{E*}; multicolora X Φ^{E2}; mul**loria i* | et uestita es eis] et operuisti illas Θ^{M2}(et op *in ras.*)agrelbt *cum HI et* 𝔓𝔊. ¶ hebr. et ier. « operuistis illas » *Hug.* ier. in comento (*sic*) pro hac « uestita es eis » ponit istam plus secundum hebr. « operuisti illas » nec per hoc intelligo primam dampna-

---

⟨et (2°) CSi | ⟨et (3°) CAOi | 13. ⟨et (1°) CAOTi | ⟨et (3°) CAOTi | ⟨similam CAOTi | ⟨et (*penult.*) CAOTi | ⟨et (*ult.*) CAOTi | 14. ⟨et CAOS | ⟨quia CAOTS | 15. ⟨et (1°) CAOTSi | ⟨fornicata CAOS | ⟨et (2°) CAOTi | 16. ⟨et (1°) CAOTSi | ⟨fecisti O | ⟨et (2°) CAOT | 17. ⟨et (1°) CAOTi | ⟨de auro CAi | ⟨et fecisti CAOSi | 18. ⟨et (1°) CAOTi.

ticoloria et vestita es eis
et oleum meum et thymiama meum posuisti coram eis
19 et panem meum quem dedi tibi
similam et oleum et mel quibus enutrivi te
posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis
et factum est ait Dominus Deus
20 et tulisti filios tuos et filias tuas quas generasti mihi
et immolasti eis ad devorandum
numquid parva est fornicatio tua 21 immolantis filios meos
et dedisti illos consecrans eis
22 et post omnes abominationes tuas et fornicationes
non es recordata dierum adulescentiae tuae
quando eras nuda et confusione plena conculcata in sanguine tuo
23 et accidit post omnem malitiam tuam vae vae tibi ait Dominus Deus
24 et aedificasti tibi lupanar et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis
25 ad omne caput viae aedificasti signum prostitutionis tuae
et abominabilem fecisti decorem tuum
et divisisti pedes tuos omni transeunti et multiplicasti fornicationes tuas

---

Deest Γ^{A}; *adsunt* iz(*partim, usque ad v.* 21, consecrans).

tam *Guill.* ier. et hebr. « operuisti eas » *Iac.* | uestita es] uestimenta es Φ^{E*}; + in Δ^{M*} Φ^{G*} | et (*4°*) *om.* Σ^{T} | thimiama meam Λ^{L*}; timiama mea Δ^{L}; timiamam (+ in U^{2}) eum U | coram eis] coronam eis S*, *ut vid.*; in conspectu eorum Ω.

19. quem] Φ^{E2} (e *in ras.*); quam Φ^{P} | similam] T*; simila $\Phi^{E*R*G}T^{2}$; *praem.* et E T*U | ∼ mel et oleum Σ^{T} *cum HI et* $\mathfrak{G}^{L}$, *cf. v.* 13 | quibus enut. te *om.* T* | enutriui] Ω^{M}(ui *corr.*)i^{2} (*in ras.*) | posuisti] *praem.* et Θ^{S}EUQ, *cf.* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}$ | in conspectum Q*, *ut vid.*

20. tuas] *cum HI*, 176 *et* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}$; *om.* Δ^{M*}S | genuisti Θ^{S}Q *cum HI et* 176; genueras Σ^{T}; genuerasti Θ^{H*}i*(*ut vid.*) | eos $Q\Psi^{D}$; ea eis Δ^{L}; + et Θ^{H*} | parua] praua a; *praem.* non Θ^{H}.

21. immolantis] Φ^{E*R*}(*ut vid.*)R*Y* *cum HI*; (i)mmolantes Π^{L}S* *cum HI* (*cod. P²*); i(m)molanti $X\Phi^{P}$; immolasti $\Phi^{E2R2}\Theta^{SG}R^{2}$ $Y^{2}UQ\Psi^{D}\Omega$grelst *cum* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}$, *cf.* 176 (interfecisti) *et v.* 20; immolas Δ^{L*} | meos] *cum HI et* $\mathfrak{H}$; tuos Δ^{M} *cum* 176 *et* $\mathfrak{G}$. ¶ LXX « tuos » *Hug.* | illos] *cum HI*; eos $\Delta^{M}\Theta^{H}$ *cum* 176 | eis *bis scrips.* Ω^{S*}.

22. tuas] *om.* Φ^{E*} | fornicationes] *cum HI*; + tuas $\Sigma^{T}\Delta^{M}\Theta^{HG*}E\Omega^{M*}$r *cum* $\mathfrak{H}\mathfrak{G}^{codd.}$, *cf. v.* 25 | es] est O* | dierum *bis scrips.* Θ^{S*} | conculcata] *cum HI et* $\mathfrak{H}$, *cf.* 176 (conmixta); *praem.* et $\Sigma^{T}U\Psi^{D}$; + es Ω^{SJ*}.

23. et *om.* E*SU | accidit] *cum HI*; accedit Π^{L}ES*i *cum HI* (*cod. P**); occidit Θ^{H*} | post** E | uae (*2°*) + uae Π^{L} | deus *om.* Θ^{S} *cum* 176 *et* $\mathfrak{G}^{BA}$.

24. et aedif. tibi lup. *om.* O* | edificas S*.

25. omne] *in ras.* i^{2}; omnem Δ^{L}S*U | aedific. + tibi $O\Theta^{HAMG}$M, *cf. v.* 24 | prostitutionis] *in ras., ut vid.*, Θ^{M2}; prostitutiones i | tuum] tuam U* | diuisist** E* | fornicationes tuas] *cum HI et* $\mathfrak{H}$; fornica(t)ionem tuam U*Q *cum* 176 *et* $\mathfrak{G}$, *cf. v.* 26; *praem.* omnes Ωagre.

⟨et (*2°*) T | ⟨et (*3°*) CAO | 19. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨similam CAOT | ⟨posuisti CAOTi | ¶ et (*ult.*) XVII. U; *Div. sine num.* ET; ⟨et (*ult.*) CAOi | 20. ⟨et (*1°*) CAOTSi | ⟨et (*ult.*) CAOTi | ⟨numquid CAOTSi | 21. ⟨et CAOT | 22. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨non CAO | ⟨quando CAOTi | ⟨conculcata T | 23. ⟨et CAOTS | ⟨vae (*1°*) T | 24. ⟨et (*1°*) $CAO^{2}TSi$ | ⟨et (*2°*) AOTi | 25. ⟨ad CAOT | ⟨aedificasti S | ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨et (*2°*) AOTi | ⟨et (*ult.*) COTi.

[26] et fornicata es cum filiis Aegypti vicinis tuis magnarum carnium
et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me
[27] ecce ego extendi manum meam super te et auferam ius tuum
et dabo te in animam odientium te filiarum palestinarum
quae erubescunt in via tua scelerata
[28] et fornicata es in filiis Assyriorum
eo quod necdum fueris expleta
et postquam fornicata es nec sic es satiata
[29] et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldaeis
et nec sic satiata es
[30] in quo mundabo cor tuum ait Dominus Deus
cum facias omnia haec opera mulieris meretricis et procacis
[31] quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viae
et excelsum tuum fecisti in omni platea
nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium

Deest Γ^{A}; *adsunt* iz(*partim, a v.* 26, cum).

26. et (*1°*) — tuam *om.* U*, *per homoeotel.* | multipl.] irritasti X, *cf. infra* | fornicationem tuam] *cum HI et* 𝔓; fornicationes tuas XE*(-nis), *cf. v.* 25; fornicationem i* | ad i(r)ritandum] *in ras.* E^{2}.

27. extendi = $C\Sigma^{T}\Lambda^{L}$*RYET*SUm *cum HI* (*codd.* $P^{2}R^{A}W$) *et* 𝔓, *cf. HI in expos.*; extendo $\Phi^{E*RGP}T^{2}$; ostendi Ω^{M*}; ostendam Ψ^{D}; *deest* z; extendam *cett. cum HI* (= *cod.* P*) *et* $\mathfrak{G}^{L''}$, *cf.* 6, 14; 14, 9. 13, *etc.* ¶ « extendam » *Hug.* alia littera « extendi » *Iac.* | manum ¶ hebr. et ier. « manum » *Iac.* | ius tuum] T*; iustum $\Delta^{M*}\Theta^{H*}$EU*; iustum tuum $\Delta^{L}\Pi^{L}$; iustificationem tuam $\Phi^{ERG}T^{2}\Psi^{D}\Omega^{SJ}$agelst *cum HI* | dabo te] do te Φ^{E*}; dabo $\Phi^{P}\Theta^{H*}$ | in anima Λ^{L}AO*(*ut vid.*)$Y\Omega^{M}$ *cum* 𝔓, *forsitan recte*; in animas $\Delta^{M*}\Pi^{L}O^{2}\Theta Q\Omega^{S}$zarelust *cum HI*(𝔊), *HI Ez h*, 176 *et* 𝔊; in manu Σ^{T}, *cf. Ps* 105, 10; in manus Ψ^{D}. ¶ hebr. « in animam » *Iac., item Hug.* | odientium O* | te (*3°*) *om.* Θ^{H} | palestinorum $\Delta^{M*}\Omega^{S}$; phalestinorum Δ^{M2}; filistinorum Δ^{L} | quae] ****** U* | erubescunt] Λ^{L*} *cum HI*; erubescant $\Delta^{M}\Lambda^{L2}$z. ¶ hebr. et anti. « erubescunt » *Hug., item Iac.* | uia] uita Θ^{S*} | tua] sua Θ^{A*} | scelerata] *cum HI*; scelera tua $X\Delta\Phi^{E*}$R.

28. in filiis] *cum HI*; in filios M *cum HI*(𝔊) *et* 𝔓$\mathfrak{G}^{O'L''}$ | assyriorum] T* *cum HI et* 𝔓𝔊; aegyptiorum $\Phi^{RG}T^{2}$, *cf. v.* 26; *om.* Φ^{E*}. ¶ ał « egyptiorum » *Iac.* | necdum] non Δ^{L} | fuerit X; fueritis Ω^{M*} | sic] sis X | es (*3°*) *om.* RY | satiata] T^{*3} *cum HI*, 176 *et* 𝔓𝔊; sedata $\Phi^{E*RG}T^{2}$(*ut vid.*)Ω. ¶ satiata Φ^{R}; « sedata » uel minus recte « saciata » *Iac.* | ~ satiata es Σ^{T}, *cf. v.* 29.

29. multipl.] multi Θ^{G*} | in terra] *cum HI et* 176; in terram Θ^{S}RSQi; inter M* | cum chaldeos S*, *ut vid.*; cum chald[...] Y | cum] *corr.* Φ^{E2} | et nec] *cum HI Ez h et* 176, *cf.* 𝔓𝔊; et ne Q; et non Ω^{M}; nec Ω^{J} *cum HI.* ¶ *recusavit* « et » *Iac.*

30. facis Π^{L} | omnia haec opera] *cum HI et* 𝔓$\mathfrak{G}^{B}$; hec omnia opera X *cum* 176 *et* $\mathfrak{G}^{codd.}$; omnia opera haec S; (h)omnia (h)opera $C\Sigma^{T}$ | prouocacis Λ^{L*}.

31. quia] *cum HI*; qui $\Pi^{L}\Theta^{G}$; qu(a)e E*U | uiae] uitae Φ^{G}E* | et *om.* $O\Theta^{A}$ | in *om.* Θ^{AG*} | fast. augens] fastidiosagens Δ^{M*} | fastidio] T* *cum HI*; fastidiosa $\Pi^{L}\Phi^{E*R*G}T^{2}\Psi^{D}\Omega^{SJ}$. ¶ hebr. et anti. « fastidio » *Hug.* ier. et anti. minus recte « fastidiosa » *Iac.*

---

26. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨magnarum S | ⟨et (*2°*) CAOTSi | 27. ⟨ecce CAOTSi | ⟨et dabo CAOTi | ⟨quae CAOTS | 28. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨eo CAOTS | ⟨et (*2°*) CAOTi | 29. ⟨et (*1°*) CAOT | ⟨et (*2°*) CAOT |30. ⟨in quo CAOTi | ⟨cum CAOTSi | 31. ⟨quia CAOTi | ⟨et CAOTi | ⟨nec CA OTSi | ⟨fastidio S.

32 sed quasi mulier adultera quae
super virum suum inducit alienos
33 omnibus meretricibus dantur
mercedes
tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis
et donabas eis ut intrarent ad
te undique ad fornicandum
tecum
34 factumque in te est contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis
et post te non erit fornicatio
in eo enim quod dedisti mercedes
et mercedes non accepisti
factum est in te contrarium
35 propterea meretrix audi verbum
Domini
36 haec dicit Dominus Deus
quia effusum est aes tuum et
revelata est ignominia tua in
fornicationibus tuis
super amatores tuos et super
idola abominationum tuarum
in sanguine filiorum tuorum quos
dedisti eis
37 ecce ego congregabo omnes amatores tuos quibus commixta es
et omnes quos dilexisti cum universis quos oderas
et congregabo eos super te undique
et nudabo ignominiam tuam coram eis
et videbunt omnem turpitudinem
tuam
38 et iudicabo te iudiciis adultera-

Deest Γ^{A}; *adsunt* iz(*partim*).

32. inducet Π^{L}.

33. omnibus] *praem.* et Q | dabantur E*U* | mercedes (*2°*)] *cum HI*, 176 *et* 𝔊𝔊; mercedem $X\Psi^{D}\Omega^{S}i\dagger$. ¶ hebr. et anti. « mercedes » *Hug., item Iac.* | donabas] Φ^{R*} *cum HI et HI Ez h, cf.* 𝔊𝔊; dona donabas Φ^{R2} Ψ^{D2}(-bas *ex* -bis)agrelvsc; dabas Δ^{M*} | undique] undi A* | ad (*2°*) *om.* S*.

34. ∼ est in te $\Delta^{L*}\Phi^{E2R}O\Theta^{AMG}E^{2}M^{2}$ $\Psi^{D}\Omega^{M}$agrelvsc *cum HI et* 176, *cf. infra* | contra consuetudinem] E^{2} (em *in ras.*) *cum HI*; contra consuetudine $\Pi^{L}TU$; + tuam Δ^{L*} | mulierem Φ^{E*} | dedit Θ^{AM*} | mercedes (*1°*)] *cum HI*, 176 *et* 𝔊; mercedem X *cum* 𝔊; *om.* T* | et mercedes] *cum HI*, 176 *et* 𝔊, *cf.* 𝔊; *om.* E*U | non (*2°*)] quod Θ^{S} | factum est] *cum HI*; factumque est $\Delta^{L}\Pi^{L}O*\Theta^{S}Q$ *cum* 𝔊𝔊, *cf. supra et* 176 (et facta sunt); *om.* Δ^{M*} | in te *om.* Q*.

35. propterea] *praem.* et Θ^{G2} | ∼ audi meretrix Ω^{MS}.

36. quia] qui R* | diffusum X | aes tuum] *in ras.* R^{2} *cum HI*, 176 *et* 𝔊𝔊; cor tuum S; est sum U | super (*1°*)] semper Ω^{M*} | idola] *praem.* omnia gr; + tu Θ^{A*} | abominationum] *cum HI et* 𝔊; abominatium Θ^{A}; aduencionum U; adinuentionum E* T* | in sanguine] *cum HI*; in sanguinem AO | quos] *cum HI*; quod $X\Theta^{M*}$; quo T†; ****quos E | eis] estis X.

37. congregabo (*1°*)] congrega Θ^{M} | ∼ amat. omnes Ω^{M*} | co(m)mixta] S* *cum HI*; admixta S^{2} | es et] est Δ^{L*} | dilexisti* E | ignominia tua Δ^{M*}, *cf.* 𝔊 *et* 176 (malitias tuas); ignominiam S* | omnem] *cum HI*, 176 *et* 𝔊𝔊; omnes XS^{2}, *cf. HI*(𝔊) (cuncti) *et expos. l.*, *458* (« ut omnes uideant turpitudinem tuam »); *** S*.

38. iudicabo ¶ hebr. anti. et ier. « iudicabo » *Iac.* | in iudiciis Σ^{T} | adult.] alterarum

---

32. ⟨sed CAOTSi | ⟨quae O | 33. ⟨omnibus CAOTS | ⟨tu CAOTi | ⟨et CAOTi | 34. ⟨factumque CAOTi | ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨in eo CAOTS | ⟨et mercedes Ti | ⟨factum CAOTi | 35. ⟨propterea CAOTSi | 36. ¶ haec *Div. sine num.* $\Sigma^{T}T$; ⟨haec CAOSi | ⟨quia CAOT | ⟨et (*1°*) OT | ⟨super CAOT | ⟨in sanguine CAOT | 37. ⟨ecce CAOTSi | ⟨et omnes CAOT | ⟨et congregabo CAOTSi | ⟨et nudabo CAOTi | ⟨et videbunt CAOTi | 38. ⟨et (*1°*) CAOTSi.

rum et effundentium sanguinem
et dabo te in sanguinem furoris et zeli
39 et dabo te in manus eorum et destruent lupanar tuum
et demolientur prostibulum tuum
et denudabunt te vestimentis tuis et auferent vasa decoris tui
et derelinquent te nudam plenamque † ignominia †
40 et adducent super te multitudinem
et lapidabunt te lapidibus et trucidabunt te gladiis suis
41 et comburent domos tuas igni
et facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum
et desines fornicari et mercedes ultra non dabis
42 et requiescet indignatio mea in te
et auferetur zelus meus a te
et quiescam nec irascar amplius
43 eo quod non fueris recordata dierum adulescentiae tuae
et provocasti me in omnibus his quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi ait Dominus Deus
et non feci iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis
44 ecce omnis qui dicit vulgo proverbium in te adsumet illud

Deest Γ^{A}; *adsunt* iz(*partim, usque ad v.* 42, auferetur).

Δ^{L} | in sanguinem] *cum HI* (= *cod. P*), *HI* (𝔊), 176 *et* 𝔊$^{A''}$; in sanguine CX $\Sigma^{T}\Theta^{S}$ETU $Q\Psi^{'D}$ *cum HI* (*codd. WR*^{A} *et in expos., l. 510*) *et* 𝔊, *forsitan recte* | furoris] foris Λ^{L*}, *ut vid.* | et (*4°*)] *cum HI*, 176 *et* 𝔓𝔊; *om.* CΔ^{L} *cum* 𝔊^{106}.

39. in manus] *cum HI*, 176 *et* 𝔊; in manu $\Theta^{S}Q$ *cum* 𝔓; in manibus Θ^{G*}, *ut vid.* | et (*2°*)] *** R* | destruent] *cum HI et* 𝔓𝔊; dextruant Σ^{T}; destruunt Q; destruam Φ^{EG}; distru[...] z | tuum (*1°*)] Φ^{E2} (t *corr.*); *om.* Ω^{S*} | et denudabo X; et nudabunt Ω^{MS}; **nudabunt Φ^{P*} | te (*2°*) *om.* O* | et (*5°*) — tui *om.* Q, *per homoeoarcton* | auferent] Δ^{M*} *cum HI et* 𝔓𝔊; auferet Δ^{L*}; auferentur XΔ^{M2}AO*EU, *cf. Dn* 5, 2 | derelinquant Σ^{T*}S*(*ut vid.*)M*; relinquent Θ^{H*} | ignominia] *cum HI et* 𝔓𝔊; ignominiam CΣ^{T*}A*Φ^{R*}(*ut vid.*)^{GP}O*Θ^{M*}(*ut vid.*)S*U, *cum HI* (*cod. P*^{2}), *cf. Prolegom., p.* LXXXI; ignominię Θ^{M2}.

40. adducant Ψ^{D} | te (*2°*) *om.* E*U | trucid.] cruciabunt ESU | suis *om.* Φ^{P*}, *ut vid.*

41. et (*1°*) — igni *om.* Q, *per homoeoarcton* | tuas] suas $\Psi^{'D*}$ | igne 𝔰 | faciant X; faciunt M*; faci*nt Θ^{M*}; si facient Ω^{M*}, *ut vid.* | iudicium Ω^{S}; + igni Δ^{L} | oculis] conspectu Σ^{T} *cum* 176 | desines] *cum HI*; desinis X$\Delta^{M*}\Pi^{L}\Theta^{A*}$(*ut vid.*)T*S* *cum HI* (*cod. P*^{2}) | f(o)rnicare SU.

42. indignatione Q | et (*2°*) — te (*2°*) *om.* T*, *per homoeotel.* | aufertur Δ^{M}. ¶ hebr. « auferetur » *Guill.* | a] *cum HI, cf.* 176 (ex) *et* 𝔓𝔊; ad Δ^{L} | requiescam Ω^{S} *cum* 176, *cf. supra* (requiescet) | nec] *in ras.* Φ^{E2} *cum HI et* 𝔓𝔊, *cf.* 176; ne $\Delta^{LM*}\Phi^{GP}\Theta^{M*}$(*ut vid.*)^{G*} S | irascatur U.

43. eo quod *bis scrips.* $\Omega^{J\dagger}$ | eo *om.* U | prouoc.] prouasti U | hiis Ω^{SJ}ą; ***bus Σ^{T*} | dedi] *praem.* non $\Delta^{LM*}\Theta^{H}$, *cf. infra* (non feci) | fęcit Π^{L} | omnibus (*2°*) + hiis Ω^{S}, *cf. supra.* ¶ alia littera minus recte addit « hiis » *Iac.*

44. qui] Σ^{T*}; quod Σ^{T2} | uulgum E |

⟨et dabo CAOTSi | 39. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨et (*2°*) O | ⟨et (*3°*) CAOT | ⟨et (*4°*) CAOT | ⟨et(*5°*) COTSi | ⟨et (*6°*) CAOT | 40. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨et (*2°*) CAOT | ⟨et (*3°*) Oi | 41. ⟨et (*1°*) CAOT | ⟨et (*2°*) CAOTi | ⟨et (*3°*) CAOT | ⟨et (*ult.*) i | 42. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨et (*2°*) CAOi | ⟨et (*3°*) CAOTi | 43. ⟨eo CAOTi | ⟨et (*1°*) CAOTi | ¶ quapropter XXXIIII. AΘQ; ⟨quapropter COTS | ⟨et non CAOTSi | 44. ¶ ecce XXXV[III]. Ω^{M}; *Div. sine num.* O; ⟨ecce CATi | ⟨in te COT.

dicens
sicut mater ita et filia eius
45 filia matris tuae es tu
quae proiecit virum suum et filios suos
et soror sororum tuarum tu quae proiecerunt viros suos et filios suos
mater vestra Chetthea et pater vester Amorreus
46 et soror tua maior Samaria
ipsa et filiae eius quae habitat ad sinistram tuam
soror autem tua minor te quae habitat a dextris tuis Sodoma et filiae eius
47 sed nec in viis earum ambulasti neque secundum scelera earum fecisti
pauxillum minus paene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis
48 vivo ego dicit Dominus Deus
quia non fecit Sodoma soror tua ipsa et filiae eius
sicut fecisti tu et filiae tuae
49 ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae
superbia saturitas panis et abundantia
et otium ipsius et filiarum eius
et manum egeno et pauperi non porrigebant
50 et elevatae sunt et fecerunt abominationes coram me et abstuli eas sicut vidisti

---

Deest Γ^{A}; *adest* i.

adsumit SQ | sicuti X | filię Ψ^{rD}, *cf. v.* 46.

45. tu (*1°*) *om.* M^{2} *cum HI* | uirum suum] Φ^{G*3}; uiros suos Φ^{G2}, *cf. infra* | et (*1°*) *om.* Ω^{M} | soror] so**** Θ^{M*}, *cf.* soror es *HI* (*codd. P*W*); *bis scrips.* Q*; *om.* S | tu (*2°*)] Θ^{G*} *cum* 𝔓, *cf. HI*; es tu Θ^{G2}𝔤𝔯𝔩(es *sublin.* 𝔴) 𝔰𝔱, *cf. supra*; *** S*; *om.* $\Delta AOS^{2}U\Omega^{M}$ *cum HI*(𝔊), 176 *et* 𝔊 | quae] qua E* | uestre ęthee X | uestra] uester Θ^{H}, *cf. infra*; tua Δ^{L} *cum AU Jul im, cf. v.* 3 | uester *om.* Δ^{L}.

46. ipse $Q\Psi^{rD}$ | filiae (*1°*)] Λ^{L*} *cum HI*, 176 *et* 𝔓𝔊; filia $C\Delta^{L}\Lambda^{L2}\Phi^{R*P}\Theta^{H*M*}$i, *cf. v.* 44 *et infra* (quae habitat). ¶ « filie » *Hug.* | (h)abitat (*1°*) = $C\Sigma^{T}\Delta^{L}\Lambda^{L}\Theta^{M2}R*$ YE*T*Uim *cum HI et* 𝔓𝔊; habitant Θ^{M*} *cett. cum* 176 | tua (*2°*) *om.* S *cum HI* (*cod. P**) | te] *cum HI*; a te X, *cf.* 𝔓 | quae (*2°*)] qui Q | filiae (*2°*)] filia $\Phi^{P}\Theta^{HA}$, *cf. v.* 44.

47. nec] neque Σ^{T} | in (*1°*)] *in ras.* Θ^{M2} | earum (*1°*)] *cum HI*; eorum Ua; eius X | earum (*2°*)] *cum HI*; eorum $X\Delta^{L}AO\Theta^{M*}Q\Omega^{M}$, *cf. Is* 58, 1 | pa(ux)illum] Y*T*; pusillum $X\Delta^{M*}\Phi^{ERG}\Theta^{SH}Y^{2}T^{2}Q\Omega$. ¶ ał paulo minus Θ^{M2} *cum HI* | minus *om.* Δ^{L} | paene] poenis U | sceleratoria Ω^{S}; + *** Φ^{E*} | illis *om.* S.

48. deus + tuus Ω^{M} | quia] *cum HI*; quoniam X; qui U* | sodomo Δ^{L*} | filiae (*1°*)] *cum HI et* 𝔓𝔊; filia $\Delta^{L}\Theta^{HA}$i*, *cf. v.* 44 | sicuti C.

49. ∼ fuit haec Ψ^{rD*} | iniq. + tua i | ∼ sororis tuae sodomae ET*U | saturitas] *cum HI et* 𝔓; saturitatis $\Theta^{S}Q$; *praem.* et Φ^{E2} *cum PIR* | abund. + panis X; + tua Ψ^{rD} | otium** E. ¶ alia littera « et delitie eius » *Hug., cf.* 𝔊 *et HI in expos., l. 684*: « otium et deliciae » | manu i | egeni Δ^{M}; egenum Q* | porrigebat Q.

50. leuate S | abominat.] *praem.* alias Ω. ¶ *recusavit* « alias » *Iac., item Hug.* | uidisti] Θ^{G*} *cum HI et* 𝔓; uidi Θ^{G2}𝔯 *cum* 𝔊; audisti Σ^{T}.

⟨sicut CAOTi | 45. ⟨filia CAOTi | ⟨quae (*1°*) CAO | ⟨et soror CAOi | ⟨quae (*2°*) CATi | ¶ mater XXXVIII. SM; *Div. sine num.* $\Pi^{L}\Phi^{P}O$; ⟨mater CATi | ⟨et pater Oi | 46. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨ipsa CAOTi | ¶ soror (*2°*) XXXIX. Ω^{M}; ⟨soror (*2°*) CAOTSi | ⟨quae habitat CT | 47. ⟨sed CAOT | ⟨neque CAOT | ⟨pauxillum CAOT | ⟨in omnibus C | 48. ¶ vivo XXXVIIII. SM; *Div. sine num.* $X\Phi^{P}O$; ⟨vivo CATi | ⟨quia CAO | ⟨ipsa T | ⟨sicut CAOi | 49. ⟨ecce CAOTi | ⟨superbia CAOT | ⟨et otium CAOT | ⟨et manum CAOT | 50. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨et (*2°*) Si.

51 et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit sed vicisti eas sceleribus tuis
et iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es
52 ergo et tu porta confusionem tuam
quae vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratius agens ab eis
iustificatae sunt enim a te
ergo et tu confundere et porta ignominiam tuam
quae iustificasti sorores tuas
53 et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis
et conversione Samariae et filiarum eius
et convertam reversionem tuam in medio earum
54 ut portes ignominiam tuam et confundaris in omnibus quae fecisti consolans eas
55 et soror tua Sodoma et filiae eius revertentur ad antiquitatem suam
et Samaria et filiae eius revertentur ad antiquitatem suam
et tu et filiae tuae revertemini ad antiquitatem vestram
56 non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbiae tuae

---

Deest Γ^{A}; *adest* i.

51. samariam X | demedium Φ^{E*P*} E^{2} (*pr.* e *ex* i); dimidio E^{3} | peccauit — eas] *in ras.* Φ^{P2} | peccabit $X\Sigma^{T}\Delta$ | uicistis Θ^{M*} | eas] $\Theta^{M*}M^{*}$ *cum* 𝔓𝔊; eam $\Theta^{M2}M^{2}$𝔤 *cum HI* | tuis (*1°*) + et iustificationibus tuis X | tuas + peccatis tuis Π^{L} *ex v.* 52 | quas] que S.

52. portas Π^{L} | confusionem**tuam quae* E | tuis *om.* O* | scelerantius X; sceleratibus Θ^{M*} | ab eis] $\Phi^{E*}O^{*}$ *cum HI* (*codd.*), *cf.* 𝔓; ab his $\Delta^{M*}\Theta^{HA}$(is)Ψ^{D}; eis $\Phi^{E2}O^{2}$; illis Θ^{M2} *cum HI*; ***** Θ^{M*} | iustificatae] iustificati U | ∼ enim sunt Ω^{S} | tuam (*2°*) *bis scrips.* X*.

53. conuert. restit.] conuertens Δ^{M*}, *ut vid.* | restitues Q* | eas] Ω^{M*}; eis Ω^{M2} | conversione (*1°*)] Δ^{M*} *cum HI*; conuersionem $\Pi^{L}\Phi^{E*R*G}R^{*}Y\Omega^{M}$ *cum* 𝔓𝔊; conuersiones $\Delta^{M2}\Theta^{S}$, *cf.* 𝔊. ¶ anti. « conuersionem... conuersionem... reuersionem » accusatiui magis exprimunt iuxta hebr. possunt tamen ibi esse ablatiui *Iac.*, *item Guill.* | sodomarum Δ^{L}; sodorum E | filiabus] filiis Δ^{L} | tuis Φ^{P*}, *ut vid.* | et (*2°*) *om.* S* | conuersione (*2°*)] Δ^{M*}; conuersionem $E\Omega^{MSJ*}$ *cum* 𝔓𝔊; conuersiones Δ^{M2}; confusione Δ^{L}; confusionem Π^{L} | et (*3°*) *om.* Q | filiarum] filiae Δ^{L} | reuersionem] *cum HI*; conuersionem Δ^{M}, *cf. supra* | earum] *cum HI et* 175; eorum $A\Phi^{G}O$.

54. ut portes] et portas U | consolans] *praem.* et U | eas] eos Q*.

55. filiae (*1°*)] *cum HI*, 175 *et* 𝔓𝔊; filia Θ^{H}; filii SU | antiquitatem (*1°*)] Θ^{M2} (an *in ras.*) *cum HI et* 𝔓𝔊; iniquitatem $C\Sigma^{T}\Theta^{A}$ | et (*3°*) — suam (*2°*) *om.* $U\Omega^{S*}$ *cum* 175, *per homoeotel.* | samariae $\Delta^{M}\Theta^{A}$ | filiae (*2°*)] *cum HI et* 𝔓𝔊; filia Φ^{P}; filii S | antiquitatem (*2°*)] *cum HI et* 𝔓𝔊; iniquitatem $CX\Sigma^{T}\Delta^{L}\Theta^{A}$ | et tu *om.* S* | reuertemini = $\Lambda^{L}\Phi^{R2G}O^{2}\Theta^{M2}RY$ Ω^{M2J2}𝔤𝔯𝔢𝔦𝔳𝔱 *cum HI in expos., ll. 834 et 840, et* 𝔓𝔊; reuertimini $\Phi^{R*}O^{*}\Theta^{M*}\Omega^{M*J*}$ *et cett. cum HI Ez Is ep, fors. cum archet., cf. apparatum in Ios* 1, 15 | antiquitatem (*3°*)] *cum HI et* 𝔓𝔊; iniquitatem $\Delta^{L}\Theta^{A}U$.

56. ∼ soror tua sodoma $O\Theta^{AM}$i, *cf. v.* 55.

---

51. ⟨et (*1°*) CAOTSi | ⟨sed COTSi | ⟨et (*ult.*) CAOT | ⟨quas A | 52. ⟨ergo (*1°*) CAOTSi | ⟨quae (*1°*) CAOT | ⟨sceleratius i | ⟨iustificatae CAOT | ⟨ergo (*2°*) CAOTSi | ⟨quae (*ult.*) CAOT | 53. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨et conversione CAOTSi | ⟨et convertam CAOTi | 54. ⟨ut CAOTi | ⟨in omnibus COT | 55. ⟨et (*1°*) CAOTi | ⟨et samaria CAOTi | ⟨et tu CAOTi | 56. ⟨non CAOTS.

57 antequam revelaretur malitia tua
sicut hoc tempore in obprobrium filiarum Syriae
et cunctarum in circuitu tuo
filiarum palestinarum quae ambiunt te per gyrum
58 scelus tuum et ignominiam tuam
tu portasti ait Dominus Deus
59 quia haec dicit Dominus Deus
et faciam tibi sicut despexisti
iuramentum ut irritum faceres
pactum
60 et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adulescentiae tuae
et suscitabo tibi pactum sempiternum
61 et recordaberis viarum tuarum
et confunderis
cum receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis
et dabo eas tibi in filias sed non ex pacto tuo
62 et suscitabo ego pactum meum tecum et scies quia ego Dominus
63 ut recorderis et confundaris
et non sit tibi ultra aperire os prae confusione tua
cum placatus fuero tibi in omnibus quae fecisti ait Dominus Deus
XVII. 1 et factum est verbum Domini ad me dicens

Deest Γ^{A}; *adest* i.

